TORCHILLI BADENII JAC. FIL. ROMA DANICA, HARMONIAM...

Torkill Baden

TORCHILLI BADENII
JAC. FIL.

ROMA DANICA,

Harmoniam atq; Affinitatem
Lingvæ DANICÆ
Cum
Lingva ROMANA
exhibens.

HAFNIÆ,
Literis VIDUÆ J. P. Bockenhoffer,
Anno 1699.

APPROBATIO.

Sicuti Virtus, qvôcunq; apparatu prodierit, placet, Ita Clariſſimi Authoris ingenium ſimul & Induſtria in elaborato hoc opuſculo elucent, publico applauſu & favore digniſſima. Hafn. d. 31 *Julii* 1699.

P. VINDINGIUS.

PER-ILLUSTRI AC GENE-
ROSISSIMO
DOMINO,
DN. JOHANNI
RANTZOVIO,
IN EXERCITU EQVE-
STRI S. R. M. DAN. ET NORV.
TRIBUNO MAJORI,
ALIAS
GENERAL-MAJOR
DICTO.
DOMINO HÆREDI-
TARIO
IN
FRYDENDAL, BRAM-
MINGE, ØRSLEF-CLOSTER,
STRAND-ØE ET BISTRUP.

NEC NON

NOBILISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO

DOMINO,

Doct. HENRICO
BORNEMANNO,

SÆLANDIÆ

EPISCOPO,

FACULTATIS THEOLOGICÆ

DECANO

ET

IN COLLEGIO CONSISTORIALI

ASSESSORI,

ſalutem ac felicitatem
precor
Cultor & Cliens
humillimus
TORCHILLUS BADEN.

Ad

Ad Artaxerxem, GENEROSISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI, Perſiæ qvondam Regem, varia à plurimis dona afferri cùm videret ruſticus qvidam, nec aliud habens, qvod largiretur, utráq; cavâ manu hauſtam ex proximo flumine aqvam alacrî vultu Regi obtulit; idq́; Rex lætô excepit animô, qvòd rem dictu parvam ipſa inopia argumentum faceret magni amoris. Hanc ſerenæ frontis hilariſq; animi fortunam huic tenui meæ ſpondeo operulæ, cùm qvòd ſit rivulus qvidam ex largo illo venerationis

meæ fonte ſcaturiens, tum qvòd, Pactoli inſtar, aureas vehat vernaculi ſermonis arenas & elegantias, è puriſſimo Latinæ lingvæ fonte hauſtas. Verùm enim verò non eſt qvòd multîs hìc verbîs Veſtrum, EXCELLENTISSIMI DOMINI, *favorem aucupari ſtudeam, qvippe qvorum erga literas & literatos tanta animi exſiſtit propenſio, ut, propitiô qvodam cœli munere, ad illas propagandas, hos verò juvandos, videamini nati. Hoc itaq; qvalecunq; laboris mei opuſculum, ſub* INCLYTO NOMINIS VESTRI AUSPICIO, *in publicam nunc lucem emitto, unicum hoc à* VOBIS *ſub-*

miſsè

missè petens, ut VESTRAS *hodie Ephemerides, in qvibus* (procul dubio) *pro ratione dignitatis, ordinis ac meriti, certos Clientum* VESTRORUM *gradus consignâstis, eorúmq; nomina annotâstis, evolventes, ad ultimam eorum classem, sive ad marginem sive ad calcem, meum qvoq; referatis nomen, unicô illo memoriæ charactere additô* NB. *ne Clientum multitudo ac varietas oblivionem mei pariat. Spem interim foveo certissimam, fore, ut Dedicatio hæc mea, licèt ad splendorem & magnificentiam* EXCELLENTIÆ VESTRÆ *minus nihilô faciat, plurimùm tamen conferat ad propul-*

ſandam injuriam, qvam dira mihi temporis minatur iniqvitas.

Qvod reliqvum eſt; Deum ſupplex veneror, ut Vos, MÆCENATES MEOS GRATIOSISSIMOS, *ſalvos atq; incolumes conſervare dignetur! ut ſeri in cœlum redeatis! ut rebus humanis, in Patriæ Eccleſiæq; emolumentum, qvàm diutiſſimè læti interſitis! Holbecæ V. Idus. Qvintil. Ann.* M. DC. XCIX.

Lycéi obſcuriſſimi Clariſſimum Re-
ctorem præſentia monſtrabunt
Conamina

Mag. TORCHILLI BA-
DENII,

Cujus honoris ergò paucula hæcce
præmittit φιλάδελφος.

O *Roma!* *Amor* qvi? *Mora* qvæ?
Qvi *Amor* in te tenet Alios?
Qvæ *Mora* nectitur cum occidua *Roma*?
Roma Caput Orbis occidit, & qvod Sibyllæ
fore ajunt;
Ῥύμη eſſe cœpit. (a)
Ramo exili nituntur *Romani*,
Ramo, qvem comprehendunt, cum eodem ne
decidant, caveant *Romani*.
Roma Babylon (b)
labens, lapſa, lapſura, labenda. (c)
Roma Ethnica audire faſtidit, non minus
eſt qvàm *Christiana*.

Qvo

(a) *Lact. Lib. VII.* de Divino Præmio. pag. 437.
(b) *Joh. Conad. Danhauer.* in Theol: Conſcient. de Semaſia Regni Dei in ſpecie. pag. 537.
(c) *Apocal.* 14, 8. *Cap.* 16, 17.

TORCHILLI BADENII JAC. FIL.

ROMADANICA,

Harmoniam atq; Affinitatem

Linguæ DANICÆ

Cum

Lingua ROMANA

exhibens.

HAFNIÆ,
Literis VIDUÆ J. P. Bockenhoffer,
Anno 1699.

APPROBATIO.

Sicuti Virtus, qvôcunq; apparatu prodierit, placet, Ita Clarissimi Authoris ingenium simul & Industria in elaborato hoc opusculo elucent, publico applausu & favore dignissima. Hafn. d. 31 *Julii* 1699.

P. VINDINGIUS.

PER-ILLUSTRI AC GENE-
ROSISSIMO
DOMINO,
DN. JOHANNI
RANTZOVIO,
IN EXERCITU EQVE-
STRI S. R. M. DAN. ET NORV.
TRIBUNO MAJORI,
ALIAS
GENERAL-MAJOR
DICTO.
DOMINO HÆREDI-
TARIO
IN
FRYDENDAL, BRAM-
MINGE, ØRSLEF-CLOSTER,
STRAND-ØE ET BISTRUP.

NEC NON

NOBILISSIMO ET EXCEL-
LENTISSIMO

DOMINO,

Doct. HENRICO

BORNEMANNO,

SÆLANDIÆ

EPISCOPO,

FACULTATIS THEOLOGICÆ

DECANO

ET

IN COLLEGIO CONSISTORIALI

ASSESSORI,

ſalutem ac felicitatem

precor

Cultor & Cliens
humillimus

TORCHILLUS BADEN.

Ad

A*d Artaxerxem*, GENEROSISSIMI & EXCELLENTISSIMI DOMINI, *Persiæ qvondam Regem, varia à plurimis dona afferri cùm videret rusticus qvidam, nec aliud habens, qvod largiretur, utráq; cavâ manu haustam ex proximo flumine aqvam alacrî vultu Regi obtulit; idq; Rex lætô excepit animô, qvòd rem dictu parvam ipsa inopia argumentum faceret magni amoris. Hanc serenæ frontis hilarisq; animi fortunam huic tenui meæ spondeo operulæ, cùm qvòd sit rivulus qvidam ex largo illo venerationis*

meæ fonte ſcaturiens, tum qvòd, Pactoli inſtar, aureas vehat vernaculi ſermonis arenas & elegantias, è puriſſimo Latinæ lingvæ fonte hauſtas. Verùm enim verò non eſt qvòd multîs hìc verbîs Veſtrum, EXCELLENTISSIMI DOMINI, *favorem aucupari ſtudeam, qvippe qvorum erga literas & literatos tanta animi exſiſtit propenſio, ut, propitiô qvodam cœli munere, ad illas propagandas, hos verò juvandos, videamini nati. Hoc itaq; qvalecunq; laboris mei opuſculum, ſub* INCLYTO NOMINIS VESTRI AUSPICIO, *in publicam nunc lucem emitto, unicum hoc à* VOBIS *ſub-*

miſsè

missè petens, ut VESTRAS hodie Ephemerides, in qvibus (procul dubio) *pro ratione dignitatis, ordinis ac meriti, certos Clientum VESTRORUM gradus consignâstis, eorúmq; nomina annotâstis, evolventes, ad ultimam eorum classem, sive ad marginem sive ad calcem, meum qvoq; referatis nomen, unicô illo memoriæ charactere additô* NB. *ne Clientum multitudo ac varietas oblivionem mei pariat. Spem interim foveo certissimam, fore, ut Dedicatio hæc mea, licèt ad splendorem & magnificentiam* EXCELLENTIÆ VESTRÆ *minus nihilô faciat, plurimùm tamen conferat ad propul-*

ſandam injuriam, qvam dira mihi temporis minatur iniqvitas.

Qvod reliqvum eſt; Deum ſupplex veneror, ut Vos, MÆCENATES MEOS GRATIOSISSIMOS, *ſalvos atq; incolumes conſervare dignetur! ut ſeri in cœlum redeatis! ut rebus humanis, in Patriæ Eccleſiæq́; emolumentum, qvàm diutiſſimè læti interſitis!* Holbecæ V. Idus. Qvintil. Ann. M. DC. XCIX.

Lycéi obſcurisſimi Clarisſimum Rectorem præſentia monſtrabunt
Conamina

Mag. TORCHILLI BADENII,

Cujus honoris ergò paucula hæcce
præmittit φιλάδελφος.

O *Roma! Amor* qvi? *Mora* qvæ?
Qvi *Amor* in te tenet Alios?
Qvæ *Mora* nectitur cum occidua *Roma*?
Roma Caput Orbis occidit, & qvod Sibyllæ
fore ajunt;
Ῥύμη eſſe cœpit. (a)
Ramo exili nituntur *Romani*,
Ramo, qvem comprehendunt, cum eodem ne
decidant, caveant *Romani*.
Roma Babylon (b)
labens, lapſa, lapſura, labenda. (c)
Roma Ethnica audire faſtidit, non minus
eſt qvàm *Chriſtiana*.

Qvo

(a) *Lact. Lib. VII.* de Divino Præmio. pag. 437.
(b) *Joh. Conad. Danhaver.* in Theol: Conſcient. de Semaſia Regni Dei in ſpecie. pag. 537.
(c) *Apocal.* 14, 8. *Cap.* 16, 17.

Qvo philtro igitur, Te, *Clarisſime Auctor*, ſibi Amaſium conciliavit tam infelix támq; obſcæna Meretrix,
Ut vitiatam ducas, ductam amplectaris, baſies Ore non inerudito.

Excuſatè baſias.

Qvoniam *Meretricem Romam* non *totam* baſias; (d)
Non *Manus*, ſangvine Martyrum madidas.
Non *Pectus*, Phariſaicô faſtu tumidum
Non *Humerum*, Principatus eſt ſuper Chriſti, non Anti-Chriſti Humero.
Non *Brachia* carnalia.
Non *Genu*, ad Idolomaniam flexile.
Non *Pedes*, pernices ad malum. (e)

Decenter baſias,

Os baſias, (f)
Non labroſum, Non dentatum,
Sed Γλωττικόν,
i. e. Lingvam ipſam, i. e. Lingvæ Dictiones, Locutiones.

Non

(d) *Martial.* in Linum Epigramm. Lib. VII.
(e) Septem modis accipiunt Pontifices oſculum, ſc. ad *Os*, ad *Pectus*, ad *Humerum*, ad *Brachia*, ad *Manus*, ad *Genu*, & ad *Pedes*. *Joh. Frid. Mayer.* Comment. de Pontificis Romani Electione pag. 22.
(f) Adverſ. *Feſſelii* Lib. III. Cap. VII. pag. 268.

Non *Antiqvas* Samnitum, Tarentinorum,
Sabinorum &c.
Non *Corruptas* Italorum;
Sed *Perfectas*, Ciceronianas, Plautinas &c.
Non *Omnes*,
Sed paucissimas, simplicissimas, Idiomati
Danico maximè respondentes.
Inde fit γλωττισμός,
Lingva Lingvam, Latina Danicam harmonicè contingit.

Basiantem basiemus,
Qvi *Multus* fuit in studiis,
Qvi Multos in Unum, Multa in Multum
studiosè contulit.
Improbus hinc noscitur Labor,
Qvem rara Pietas, qvem pia Probitas comes
cominus premit.
Roma Honorum qvondam fœcundissima;
Ut Amplexu novo Amasii novi novos pariat
Honores.

pro
dignissimo precatur,
JOHANNES HEERFORDT
Past. Eccles. Holb.

Clarissimo & Doctissimo Viro

Mag. TORCHILLO BADENIO

Rectori Scholæ Holbecensis vigilantissimo

ROMAM DANICAM

publico donanti

ità

amicè gratulatur

T. JOHANNIDES.

Auspicium famæ, BADEN! tibi gratulor, & qvod
Publica jam genii des documenta tui;
Hactenus in *Ludo* tua se facundia condit,
Holbecensem inter semi-sepulta sinum;
Jam volitanti se *Fama* commendat, & audet
Pingere mansuris verba diserta libris;
Dum *Romanorum* tu *Danos* ore loqventes
Monstras; Fama tibi nobilis inde manet:
Hinc te, BADENI! *Romanus Cœtus* adoret,
Atqve tuas laudes D*ania* ad astra feret:
Macte! Paternarum virtutum haud degener Hæres!
Pergat docta manus splendida plura dare!
Faustos progressus *Numen* conatibus addat,
Et lætô inceptum fine coronet opus!
Det *DEus* optatam possis contingere metam!
Dent *Superi* votis pondus inesse meis!

Virum Clarissimum atq; Eruditissimum,

Mag. TORCHILLUM BADENIUM,

Rectorem Scholæ Holbecensis meritissimum,

tunc

Cùm ROMAM DANICAM prælo publicè subjiceret,

gratulatorio hoc qvalicunq; carmine proseqvitur

Aras à Tyriis structas meruêre * Philæni
Urbis adaugentes, dum moriuntur, agros;
Qvanta (qvis enarret?) meruêre encomia laudum
Augentes Patrium sedulitate decus.
Sella Tibi Hos inter, *Clarissime*, ponitur, *Auctor*,
Qvòd Tuus in Patriæ sit loca tantus Amor.
Exauges Patrias vigili conamine laudes,
Augetúrq; Tuus non moriturus honor;
Scilicet Harmoniam demonstrat rite Latinam
Nostra cum Lingva lingva diserta Tua.
Ingenii tanti mirum demiror acumen,
Ingenium optarem tollere laude Tuum!
In laudem, *Torchille*, Tuam sit ROMA superstes
DANICA, dum Romæ lingva superstes erit!

* videatur Sallust. in bello Jugurth.

SEVERINUS MAGNI BRING.
Collega Scholæ Hauniensis.

Προαύλιον.

VEteri parœmiâ in triviis eſt decantatum illud: *Lingva qvò abis? urbem ut ædificem;* qvô ingentem illam, qvam *Lingva* mortalibus affert, utilitatem Veneranda ſignificare voluit Antiqvitas. Verùm optarem ego, ut *hic liber abiret, Romam ædificatum;* id eſt, ut qvæ Romanæ lingvæ cum noſtra ſit convenientia, qvámq; variis ſignificationibus ac uſibus voces Latinæ cum noſtris congruant, clarè & velut ad oculum oſtenderet. Ampla profectò ſunt Romani ſermonis latifundia, *Italico* non contenta ſolo, ſed in *Daniam* usq; promota, in qva ingentes Latinarum vocum & locutionum coloniæ usq; adeo firmam fixerunt ſedem, ut in ſermonibus jam noſtris, velut Dominus in

pro-

propriis ædibus, habitare videatur Latialis ſermo. *Juvenalis*, cujus tempore Syri Romam tendentes, peregrinam lingvam peregrinósqve ſecum mores ttansportaverant, *Orontem* Syriæ fluvium in *Tiberim*, longô terrarum intervallo diſtantem defluxiſſe fatetur, *Sat. III. v. 62.*

> *Jampridem Syrus in Tiberim defluxit Orontes.*

Nos verò, Romanorum non tam mores imitantes, qvàm lingvam, *Tiberim* Italiæ fluvium in *Balthica* defluxiſſe *litora* fateri, qvid vetet? ut cum qvibus nihil mercium, aliqvod tamen lingvæ commercium eſſet & ſocietas. Eandem itaq; mihi hodiè de *Danorum Roma*, qvam de *Græcorum Muſa* qvondam Horatio, exponere licet ſententiam:

> *Danis* ingenium, *Danis* dedit ore rotundô

Ro-

Roma loqvi. *De Arte Poetic. v.323.*

Verùm enim verò nec calamum hìc meum in proprio ubiq; cerebro tinxiſſe, ſed aliorum qvandoq; placitîs hortulum meum me irrigâſſe, lubens qvidem, nec rubens tamen profitear; duorum in primis Scriptorum, lingvæ ſuæ Idiotismos in Latina oſtendentium, veſtigia ſeqvutus. Illi autem ſunt *Henricus Stephanus* & *Johannes Vorſtius* in libris, qvi *de latinitate falsò ſuſpecta* inſcribuntur; qvorum ille ad Gallicæ lingvæ modum, hic verò ad Germanicæ latinitatem deflectere magnô allaborat molimine.

Nos autem methodi noſtræ memores plura hìc præfari mittemus, acturi jam de præcipuis illis (qvis enim omnes enumeraverit?) qvas in Latinorum monumentis obſervavimus, loqvendi *Formulis*, earumq; uſum, ad certas relatum *Claſſes*, per ſingulas ferè Latinæ orationis partes luſtraturi.

CLAS-

CLASSIS PRIMA
DE
FORMULIS,
Qvas
In NOMINIBUS Obſervavimus.

E veſtigio ductum partium Orationis in Locutionibus hiſce tradendis ſeqventes, primò agemus de Locutionibus NOMINUM, qvorum Claſſem in *duos* hìc dirimimus *Articulos*; *Prior* docebit Locutiones, qvas *Nomina Subſtantiva* ſuppeditant; *Poſterior* de Locutionibus, è *Nominibus Adjectivis* natis, monebit.

ARTICULUS PRIOR
De
Locutionibus, qvas NOMINA SUBSTANTIVA ſuppeditant.

§. I.

Sed *à Capite* (ut dici ſolet) rem ipſam ut

exordiamur, de hac ipsa primùm agemus appellatione, visuri qvàm variis significationibus Latina vox, *Caput*, cum Danica nostra, Hovit / congruat. Latinis certè auribus haud ingrata locutio est: It lystigt Hovit; it got Hovit; pro *ipso homine*, vel *indole hominis*. In eadem enim significatione vocabulum, *Caput*, optimis Scriptoribus freqvens est; *ut*,

Horatius Serm. lib. 2. sat. 1. Qvot Capitum vivunt, totidem studiorum millia. Id ita interpretatur *Terentius in Phormione: Qvot homines*, tot sententiæ.

Terentius Eunuch. Act. 3. sc. 3. O capitulum lepidissimum! In qvo leporis est plurimum, inqvit Donatus, *& tam de hominibus, qvàm de oratione & aliis dicitur rebus.*

Plautus Epid. Act. 1. sc. 1. Planè hoc *corruptum* est *caput.*

Virgilius Eclog. 4. Agreste caput.

Idem lib. 4. Æneid. de Ascanio: Charum caput.

Seneca in Agamemn. Impium caput.

Et plurima ejusmodi, qvæ legentium oculis obvia sunt, exempla; qvibus recensendis,

dis, brevitatis causâ, sponte hic supersedemus. Sed ad alios ejusdem dictionis usus properat calamus.

2. Nec invitâ latinitate dicimus: Det har hvercken Hovit eller Hale; Id est, *Nec principium nec finis est illi rei.* De hoc consulamus *Plautum*, qvi *Asinar. Act.* 3. *sc.* 3:

> *Nec caput*, inqvit, *nec pes sermonis apparet.* Id est, *Nec principium nec finis est verbis tuis.*

Item *Captiv. Act.* 3. *sc.* 4. Garriet, qvòd *neq; pes unqvam neq; caput appareat.* Qvod loqvendi genus usurpans *Cicero*, ex voce, *pedes*, festivum jocum elicit, scribens *Curion. lib.* 7.

> Sulpitii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuisse, propter tuas res ita contractas, ut (qvemadmodum scribis) *nec caput, nec pedes.* Eqvidem vellem uti *pedes* haberent, ut aliqvando redires.

3. Cum vocabuli *Capitis* significatione neq; malè convenit vocabulum nostrum, Hovit / Hovit-Mand; Id est, *Dux*, *auctor* & *actor* alicujus rei. *Caput* enim interdum dicitur, qvod in qvaq; re primum est, & à qvo cætera veluti fluunt; *ut*,

Cicero de Orator. Fons & *caput* Socrates.

Idem pro Flacco : Caput est omnium Græcorum concitandorum Heraclides ille Temnites.

Propertius lib. 2. *eleg.* 24. Non ego *neqvitiæ* dicerer esse *caput.* Id est, *Dux, signifer, princeps hominum neqvam.*

Dativo etiam jungitur; *ut,*

Terentius Andr. Act. 2. *sc.* 6. Hem, illic est *huic rei caput.* Ubi *Donatus : Caput* est origo & summa unius cujusq; rei.

Idem Adelph. Act. 4. *sc.* 2. Idem sensit, qvod ego, te esse *huic rei caput.*

Plautus Asinar. Act. 3. *sc.* 3. Ego *caput huic argento* hodie fui reperiendo.

4. Unm tantùm monere adhuc non erit forsan supervacuum, monstrare scilicet vocabulum nostrum, Hovit=Stad/ Latino sermoni eadem in significatione non esse incognitum ; Id qvod vel solus ostendet *Livius*, qvi *lib.* 10. ita disertè :

Tres validissimæ urbes, *Hetruriæ capita*, Volsinii, Perusia, Aretium, pacem petiêre. Et

Et lib. 9. Qvæ ferme *capita Hetruriæ* populorum eâ tempestate erant.

Eadem ratione & Roma *caput* Latio esse dicitur ab eodem:

Qvippe concedentibus, Romam *caput* Latio esse.

§. II.

De dictione nostra, Mund/ res qvoq; manifesta est, Latinorum si consulamus monumenta. Dicimus enim: Hand har en stinden Mund; Eandem loqvendi rationem fovent & Latini: *Os illi est impurissimum*; pro, *Inverecunda* vel *impudentia fundit verba.* Cùm enim in vultu hominis pudoris sit sedes, factum inde est, ut *Os* interdum sumatur pro *pudore* ac *verecundia*; & *impurissimum os* pro illo, qvi omnem deposuit pudorem. Sufficiat hìc nobis unum *Ciceronis* testimonium, qvod exstat 5. *Philipp.*

Impurissimô ore orationem in absentem evomere.

Eò qvoq; inclinat illud *Philipp.* 11. Audîsset furentis introitum Dolabellæ, *vocem impuram, os illud infame.*

2. Sed hac missa vocis notatione, aliam mox arripimus. Familiaris sermoni nostro

structura est: At strye en om Munden; pro, at giøre Giœck af een; Eadem in significatione voculâ suâ, *os*, utuntur Latini: *Os alicui sublinere;* pro, *Arte qvadam illudere, & pro ridiculo habere.* Tractum hoc videtur à ridiculo qvodam lusûs genere, qvô dormientibus, aut alioqvin imprudentibus ora pingebantur; &, ut *Budæus* legit, fuligine inficiebantur. Vel à mulieribus, fucô faciem linentibus, ut rugas tegant, & amatores capiant. *Plauto* certè non displicuit, cujus verba *Aululariâ* ita habent:

Fidei censebam maximam multò fidem esse, ea *sublevit os mihi* pessimè.

Idem Epidicô: Ego si allegâssem aliqvam ad hoc negotium minus hominem, qvàm doctum, minúsq; ad rem hanc callidum, *os sublitum esset.*

3. Hunc qvoq; loqvendi morem, à Latinis mutuatum, haud rarò nobis permittimus: At vrænge Mund af een; *Os alicui distorqvere.* Id qvod vel inde evincitur, qvòd *Terentio* in deliciis fuerit, qvi *Eunuch. Act.* 4. *sc.* 4. ita:

Oh! illud vide, *os ut sibi distorsit* carnufex! In qvem locum sic *Donatus*:

Os

Os autem dicimus illi distorqvere, qvem naturâ pulchrum, deturpamus.

4. Nec longè à Latina lingva abit contritum hoc vetustate proverbium: At tage een Madden af Munden; Eodem enim sensu & Latini dicunt: *Bolum alicui è faucibus eripere;* pro, *Commmoditatem aliqvam alicui præripere.* Similitudo desumpta à canibus, qvi ea non ratò coguntur deserere, qvæ jam ore gestant. Usurpatur autem, cùm id, qvòd probè videbamur tenere, præter exspectationem subitò eripitur. De qva loqvendi ratione dubitare neqvit, qvi ista *Terentii* legerit *Heaut. Act. 4. sc. 2.*

Crucio, *bolum tantum mihi ereptum tam subitò è faucibus.*

5. Alium adhuc Substantivi hujus si postules usum, eum suggerent, qvæ de formulis hisce nostris: At komme i Folcke-Munde; at være i alle Folckis Munde; infrà tradita leguntur *in Verbis parag. XIII. num.* 11.

§. III.

Convenit qvoqꝫ vocabulum nostrum, Øye/ cum Latino, *Oculus*, eodem vocis significatu, qvando orationi Danicæ hæc inserimus: Dette skeede i alle Folckis Øyen à

In oculis omnium hoc gestum est; pro, *Palàm, in conspectu omnium.* Qvam certè vocis significationem solius *Ciceronis* auctoritate defendimus, qvi ita *lib.* 4. *in Verrem :*

In ore & oculis omnium hæc gesta sunt.

2. Sed qvoniam pretiosissima corporis pars sunt oculi, eorúmq; sensus nobis omnium charissimus, nullam certè admirationem cuiqvam movere debet hæc nostra structura, qvâ singularem erga aliqvem amorem testamur: Hand elsker ham / som sin Øye=Steen. Locutio sanè à puritate Latini sermonis nec prorsus aliena ; *ut*, *Magis illum, qvàm oculos suos amat*. Confirmat id ipsum *Terentius Adelph. Act.* 4. *sc.* 5.

Dî me, pater, omnes oderint, nî *magis te, qvàm oculos* nunc amo *meos.*

§. IV.

Etiam in constructione Substantivi, Haand/ lingvam suam Latinorum spoliîs ditârunt vernaculi sermonis Cultores. Dicunt qvippe haud raro : At lægge Haand paa een; Qvod loqvendi genus Latina sibi etiam permittit lingva : *Manum in aliqvem*, vel *alicui injicere*. *Injicitur* qvippe

ma-

manus in aliqvem, vel in ejus bona, qvando ille inde abire, vel inde moveri, auctoritate aliqvâ vetatur. Id qvod satìs tutò usurpatur, qvia viam aperuit *Plinius ad Trajanum epist.* 66. ubi ita μεταφορικῶς:

> Itaq; & *qvieti ejus injeci manum*, & exegi, ut me in Bithynia consiliò instrueret.

Qvæ verba, ne corruptissimè legantur, Doctissimus *Budæus* sic interpretatur: *Otiosum*, inqvit Plinius, *Nymphidium nactus*, *continuò navare mihi operam coëgi*, *qvasiq; usui meo vendicavi*, *ut me consiliîs suîs adjuvaret*.

2. A Latino qvoq; fonte derivamus: Det er i min Haand; *In manu est mea*; pro, *In potestate mea est*. Nec de locutionis hujus integritate dubitandum, cùm optimis Scriptoribus nitatur;

> *Plautus Mostell.* Qvò eveniat, *Diis in manu est.*
>
> *Terentius Hecyrâ*: *Tibi id in manu est*, ne fiat.
>
> *Cicero lib.* 8. *epist.* 6. Qvàm velis eum obligare, *in tna manu est.*
>
> *Idem lib.* 14. *epist.* 2. Verùm *hæc non sunt in nostra manu.*

 Ne-

Roma loqvi. *De Arte Poetic. v.323.*

Verùm enim verò nec calamum hìc meum in proprio ubiq; cerebro tinxisse, sed aliorum qvandoq; placitîs hortulum meum me irrigâsse, lubens qvidem, nec rubens tamen profitear; duorum in primis Scriptorum, lingvæ suæ Idiotismos in Latina ostendentium, vestigia seqvutus. Illi autem sunt *Henricus Stephanus* & *Johannes Vorstius* in libris, qvi *de latinitate falsò suspecta* inscribuntur; qvorum ille ad Gallicæ lingvæ modum, hic verò ad Germanicæ latinitatem deflectere magnô allaborat molimine.

Nos autem methodi nostræ memores plura hìc præfari mittemus, acturi jam de præcipuis illis (qvis enim omnes enumeraverit?) qvas in Latinorum monumentis observavimus, loqvendi *Formulis*, earumq; usum, ad certas relatum *Classes*, per singulas ferè Latinæ orationis partes lustraturi.

CLAS-

CLASSIS PRIMA
DE
FORMULIS,
Qvas
In NOMINIBUS Obſervavimus.

E veſtigio ductum partium Orationis in Locutionibus hiſce tradendis ſeqventes, primò agemus de Locutionibus NOMINUM, qvorum Claſſem in *duos* hìc dirimimus *Articulos*; *Prior* docebit Locutiones, qvas *Nomina Subſtantiva* ſuppeditant; *Poſterior* de Locutionibus, è *Nominibus Adjectivis* natis, monebit.

ARTICULUS PRIOR
De
Locutionibus, qvas NOMINA SUBSTANTIVA ſuppeditant.

§. I.

Sed à *Capite* (ut dici ſolet) rem ipſam ut

exordiamur, de hac ipsa primùm agemus appellatione, visuri qvàm variis significationibus Latina vox, *Caput*, cum Danica nostra, Hovit / congruat. Latinis certè auribus haud ingrata locutio est: It lystigt Hovit; it got Hovit; pro *ipso homine*, vel *indole hominis*. In eadem enim significatione vocabulum, *Caput*, optimis Scriptoribus freqvens est; *ut*,

Horatius Serm. lib. 2. sat. 1. Qvot Capitum vivunt, totidem studiorum millia. Id ita interpretatur *Terentius in Phormione: Qvot homines*, tot sententiæ.

Terentius Eunuch. Act. 3. sc. 3. O capitulum lepidissimum! In qvo leporis est plurimum, inqvit Donatus, *& tam de hominibus, qvàm de oratione & aliis dicitur rebus.*

Plautus Epid. Act. 1. sc. 1. Planè hoc *corruptum* est *caput.*

Virgilius Eclog. 4. Agreste caput.

Idem lib. 4. Æneid. de Ascanio: Charum caput.

Seneca in Agamemn. Impium caput.

Et plurima ejusmodi, qvæ legentium oculis obvia sunt, exempla; qvibus recensendis,

dis, brevitatis causâ, sponte hic superse-demus. Sed ad alios ejusdem dictionis usus properat calamus.

2. Nec invitâ latinitate dicimus: Det har hvercken Hovit eller Hale; Id est, *Nec principium nec finis est illi rei.* De hoc consulamus *Plautum*, qvi *Asinar. Act.* 3. *sc.* 3:

> *Nec caput*, inqvit, *nec pes sermonis apparet.* Id est, *Nec principium nec finis est verbis tuis.*

Item *Captiv. Act.* 3. *sc.* 4. Garriet, qvòd

> *neq; pes unqvam neq; caput appareat.*

Qvod loqvendi genus usurpans *Cicero*, ex voce, *pedes*, festivum jocum elicit, scribens *Curion. lib.* 7.

> Sulpitii tibi operam intelligo ex tuis literis non multum opus fuisse, propter tuas res ita contractas, ut (qvemadmodum scribis) *nec caput, nec pedes.* Eqvidem vellem uti *pedes* haberent, ut aliqvando redires.

3. Cum vocabuli *Capitis* significationē neq; malè convenit vocabulum nostrum, Hovit / Hovit-Mand; Id est, *Dux, auctor* & *actor* alicujus rei. *Caput* enim interdum dicitur, qvod in qvaq; re primum est, & à qvo cætera veluti fluunt; *ut*,

Cicero de Orator. Fons & *caput* Socrates.

Idem pro Flacco : Caput est omnium Græcorum concitandorum Heraclides ille Temnites.

Propertius lib. 2. *eleg.* 24. Non ego *neqvitiæ* dicerer esse *caput.* Id est, *Dux, signifer, princeps hominum neqvam.*

Dativo etiam jungitur; *ut,*

Terentius Andr. Act. 2. *sc.* 6. Hem, illic est *huic rei caput.* Ubi *Donatus : Caput* est origo & summa unius cujusq; rei.

Idem Adelph. Act. 4. *sc.* 2. Idem sensit, qvod ego, te esse *huic rei caput.*

Plautus Asinar. Act. 3. *sc.* 3. Ego *caput huic argento* hodie fui reperiendo.

4. Unm tantùm monere adhuc non erit forsan supervacuum, monstrare scilicet vocabulum nostrum, Hovit-Stad/ Latino sermoni eadem in significatione non esse incognitum; Id qvod vel solus ostendet *Livius*, qvi *lib.* 10. ita disertè:

Tres validissimæ urbes, *Hetruriæ capita*, Volsinii, Perusia, Aretium, pacem petiêre.

Et lib. 9. Qvæ ferme *capita Hetruriæ* populorum eâ tempeſtate erant.

Eadem ratione & Roma *caput* Latio eſſe dicitur ab eodem:

Qvippe concedentibus, Romam *caput* Latio eſſe.

§. II.

De dictione noſtra, Mund/ res qvoq; manifeſta eſt, Latinorum ſi conſulamus monumenta. Dicimus enim: Hand har en ſkiden Mund; Eandem loqvendi rationem fovent & Latini: *Os illi eſt impuriſſimum*; pro, *Inverecunda* vel *impudentia fundit verba*. Cùm enim in vultu hominis pudoris ſit ſedes, factum inde eſt, ut *Os* interdum ſumatur pro *pudore* ac *verecundia*; & *impuriſſimum os* pro illo, qvi omnem depoſuit pudorem. Sufficiat hìc nobis unum *Ciceronis* teſtimonium, qvod exſtat 5. *Philipp.*

Impuriſſimô ore orationem in abſentem evomere.

Eò qvoq; inclinat illud *Philipp.* 11. Audîſſet furentis introitum Dolabellæ, *vocem impuram, os illud infame.*

2. Sed hac miſſa vocis notatione, aliam mox arripimus. Familiaris ſermoni noſtro

structura est: At strÿge en om Munden; pro, at giøre Giæck af een; Eadem in significatione voculâ suâ, *os*, utuntur Latini; *Os alicui sublinere*; pro, *Arte qvadam illudere, & pro ridiculo habere.* Tractum hoc videtur à ridiculo qvodam lusûs genere, qvô dormientibus, aut alioqvin imprudentibus ora pingebantur; &, ut *Budæus* legit, fuligine inficiebantur. Vel à mulieribus, fucô faciem linentibus, ut rugas tegant, & amatores capiant. *Plauto* certè non displicuit, cujus verba *Aululariâ* ita habent:

> Fidei censebam maximam multò fidem esse, ea *sublevit os mihi* pessimè.
>
> *Idem Epidicô*: Ego si allegâssem aliqvam ad hoc negotium minus hominem, qvàm doctum, minúsq; ad rem hanc callidum, *os sublitum esset.*

3. Hunc qvoq; loqvendi morem, à Latinis mutuatum, haud rarò nobis permittimus: At vrænge Mund af een; *Os alicui distorqvere.* Id qvod vel inde evincitur, qvòd *Terentio* in deliciis fuerit, qvi *Eunuch. Act.* 4. *sc.* 4. ita:

> Oh! illud vide, *os ut sibi distorsit* carnufex! In qvem locum sic *Donatus*:

Os

Os autem dicimus illi distorqvere, qvem naturâ pulchrum, deturpamus.

4. Nec longè à Latina lingva abit contritum hoc vetustate proverbium: At tage een Madden af Munden; Eodem enim sensu & Latini dicunt: *Bolum alicui è faucibus eripere;* pro, *Commmoditatem aliqvam alicui præripere.* Similitudo desumpta à canibus, qvi ea non ratò coguntur deserere, qvæ jam ore gestant. Usurpatur autem, cùm id, qvòd probè videbamur tenere, præter exspectationem subitò eripitur. De qva loqvendi ratione dubitare neqvit, qvi ista *Terentii* legerit *Heaut. Act. 4. sc. 2.*

Crucio, *bolum tantum mihi ereptum tam subitò è faucibus.*

5. Alium adhuc Substantivi hujus si postules usum, eum suggerent, qvæ de formulis hisce nostris: At komme i Folcke-Munde; at være i alle Folckis Munde; infrà tradita leguntur *in Verbis parag. XIII. num.* 11.

§. III.

Convenit qvoq; vocabulum nostrum, Øye/ cum Latino, *Oculus*, eodem vocis significatu, qvando orationi Danicæ hæc inserimus: Dette skeede i alle Folckis Øyen; in

In oculis omnium hoc gestum est; pro, *Palàm, in conspectu omnium.* Qvam certè vocis significationem solius *Ciceronis* auctoritate defendimus, qvi ita *lib.* 4. *in Verrem*:

In ore & oculis omnium hæc gesta sunt.

2. Sed qvoniam pretiosissima corporis pars sunt oculi, eorúmq; sensus nobis omnium charissimus, nullam certè admirationem cuiqvam movere debet hæc nostra structura, qvâ singularem erga aliqvem amorem testamur: Hand elsker ham / som sin Øye=Steen. Locutio sanè à puritate Latini sermonis nec prorsus aliena; *ut*, *Magis illum, qvàm oculos suos amat*. Confirmat id ipsum *Terentius Adelph. Act.* 4. *sc.* 5.

Dî me, pater, omnes oderint, nî *magis te, qvàm oculos* nunc amo *meos*.

§. IV.

Etiam in constructione Substantivi, Haand/ lingvam suam Latinorum spoliîs ditârunt vernaculi sermonis Cultores. Dicunt qvippe haud raro: At lægge Haand paa een; Qvod loqvendi genus Latina sibi etiam permittit lingva: *Manum in aliqvem*, vel *alicui injicere*. *Injicitur* qvippe

ma-

manus in aliqvem, vel in ejus bona, qvando ille inde abire, vel inde moveri, auctoritate aliqvâ vetatur. Id qvod satìs tutò usurpatur, qvia viam aperuit *Plinius ad Trajanum epist.* 66. ubi ita μεταφορικῶς:

Itaq; & *qvieti ejus injeci manum*, & exegi, ut me in Bithynia consiliò instrueret.

Qvæ verba, ne corruptissimè legantur, Doctissimus *Budæus* sic interpretatur: *Otiosum*, inqvit Plinius, *Nymphidium nactus, continuò navare mihi operam coëgi, qvasiq; usui meo vendicavi, ut me consiliîs suîs adjuvaret.*

2. A Latino qvoq; fonte derivamus: Det er i min Haand; *In manu est mea*; pro, *In potestate mea est*. Nec de locutionis hujus integritate dubitandum, cùm optimis Scriptoribus nitatur;

Plautus Mostell. Qvò eveniat, *Diis in manu est.*

Terentius Hecyrâ: *Tibi id in manu est*, ne fiat.

Cicero lib. 8. *epist.* 6. Qvàm velis eum obligare, *in tna manu est.*

Idem lib. 14. *epist.* 2. Verùm *hæc non sunt in nostra manu.*

Nepos in Timotheo: Et ut si *in sua manu fortuna esset*, qvò contenderet, pervenit.

Tacitus lib. 2. Histor. cap. 76. Juxta Deos *in tua manu est positum.*

3. In oratione Latina locus qvandoq; conceditur & huic dictionis generi: Det er hands Haand; *Ipsius manus est;* ubi *manus* aliqvem manûs *effectum*, & qvidem *ipsam scripturam* significat. Neq; Auctorum hìc deficiunt testimonia;

Cicero ad Atticum: Occupationum mearum vel hoc signum erit, qvòd epistola *librarii manus est.*

Qvintilian. lib. 1. de Orthogr. Caussa, Cassus, Cicero & Virgilius scripserunt; sic *manus eorum* docent.

4. Huc spectat itidem structura: At ræcke een Haanden; *Dextram, manum alicui porrigere;* pro, *Opem ferre, auxiliari;* Metaphora tracta ab iis, qvi lapsos tensâ dexrrâ humo attollunt. Hac usus legitur *Cicero*, qvi *post redit. in Senat.* ita:

Qvi *mihi* primus *afflicto & jacenti* Consularem fidem *dextrámq; porrexit.*

Idem prô Dejotaro: Per dexteram istam te oro, *qvam regi Dejotaro hospes hospiti porrexisti.* Et

Et pro Flacco: Manum porrigere.

Neq; displicuit *Virgilio lib. 6. Æneid. Da dextram misero.* Id est, *præsta auxilium.*

Hinc *dextrâ* se antiqvi venerabantur; per *dextram* jurabant, tanqvam fidei sedem virtutísq; ministram; *dextram* enim, teste *Servio*, Numa Pompilius *Fidei* consecravit. Unde & hodie consvetudo remansit apud Daniæ nostræ incolas, ut se mutuò salutantes dextram porrigant.

5. Ejusdem deniq; generis est illud: Hand har intet i Haanden; *Nihil illi est in manu*; pro, *Nihil habet, nihil possidet. Habere* enim *in manibus* dicuntur, qvi aliqvid possident & divites sunt. Non effugit hìc memoriam nostram insignis ille *Plautinus* locus *Asinar. Act. 3. sc. 7.*

Plus illi est in manu. Id est, *Ditior est.*

§. V.

Usum deinde qvendam Substantivi nostri, Næse/ è Latino sermone derivare allaboramus. Accipitur qvippe haud raro pro sagacitate & lepóre in irridendis hominibus; Metaphora sumpta à canibus, qvi narium olfactu abstrusissima qvæq; investigant. Et sanè in irridendo fingitur variè & mo-

& movetur naſus, ut meritò eum irriſioni olim dicaverint, teſte *Pliniô lib.* 11. *cap.* 37. *Altior homini tantùm, qvem novi mores ſubdolæ irriſioni dicavêre, naſus.* Hinc Latinorum more dicimus: At tage een om Næſen; *Naſo aliqvem ſuſpendere;* pro, *Vafre ac ſubdolè irridere.* Aſſertioni huic patrocinatur *Horatius Serm. lib.* 1. *ſat.* 6.

Naſo ſuſpendis adunco.

Idem alibi: Balathro ſuſpendens omnia naſo.

In eandem ſententiam *Perſius ſat.* 1.

Callidus *excuſſo populum ſuſpendere naſo.*

Unde, Næſe-viſe; nobis, Latinísq; *Naſuti* vel *naſutuli* vocantur, qvi doctè norunt alios irridere. Qvò tendunt verba *Martialis lib.* 1 *epigr.* 41.

Non cuiq; datum eſt *habere naſum.*

Id eſt, *Dicacitatem & ſagacitatem ad deridendum.*

§. VI.

Reſtat nunc, ut uſus qvoq;, qvos vocabulum noſtrum, Haar/ cum Latina lingva convenientes habeat, videamus. Dicimus itaq; nos: Der er icke et got Haar paa hans Hovit. Locutio ſanè Latinis haud indigna

au-

auribus, cum eam non aversetur delicatum latinitatis seculum. Ita enim *Cicero* eleganter *pro Roscio:*

> Hic capite & superciliis semper est rasis, ne *ullum pilum viri boni habere* videatur.

2. Familiares eidem sunt hyperbolæ: *Pili non facere; ne pilô qvidem melior*; Hand er icke et Haar bædre; cùm minimum qviddam momenti significare animus est. Ejus enim *ad Qv. fratrem lib.* 2. ista sunt:

> Nihil est, qvod vereare; ego enim *ne pilô qvidem minus* te amabo.

Pili vilitas Græcis etiam in proverbio fuit; unde ἄξιος τριχὸς, id est, *dignus pilô*, in hominem nihili.

§. VII.

De *premente* porrò *calceo* à nobis proverbii locô dicitur: Ingen veed bædre/ hvor Skoen trykker ham / end den / som har den paa; *Nemo rectius novit, qvam partem pedis calceus premens malè afficiat, nisi qvi eô incedit indutus.* Usum certè locutionis hujus, si non è *Latinorum* è *Græcorum* tamen, qvorum æmulam habemus latinitatem, monumentis eruere, proclivîs negotii res erit, in primis cùm præviam hìc ha-

habeamus *Plutarchi* auctoritatem, cujus *in præceptis connubialibus pag.* 141. ita sonant verba:

Cùm enim Romanus qvidam ab amicis reprehensus fuisset, qvòd uxorem pudicam, locupletem & formosam repudiâsset; calceum protendit: & hic, inqviens, novus est & pulcher; ἀλλ' οὐδεὶς οἶδεν, ὅπῃ με θλίβει, *sed nemo vestrûm novit, ubi me premat.*

§. VIII.

Romana qvoq; incunabula agnoscunt qvædam loqvendi genera, ex vocabulo nostro, Intet; deducta. Dicimus nos, comparationem inter qvosdam instituentes: Hand er intet imod ham; Insistunt eandem viam Latini: *Nihil ad illum*; pro, *Non est cum illo comparandus.* Ita enim ipse puræ ac floridæ latinitatis summus Vindex *Cicero lib.* 2. *de Orat.*

Qvem (*Lælium Decimum*) cognovimus virum bonum & non illiteratum; sed *nihil ad Persium.* sc. *fuisse comparandum.*

Et ne dubites de hac ellipsi, eam supplevit *Terentius Eunuch. Act.* 4. *sc.* 4.

Nec *comparandus* hic qvidem *ad illum est.*

Sed

Sed ad aliud teſtimonium ex eódem *Terentio Eunuch. act. 2. ſc. 2.* pergemus;

Ehodum dic mihi, eſtne, ut fertur, forma? P. Sanè. C. *At nihil ad noſtram hanc.*

2, Eundem Latinæ dictionis genium refert ſtructura: Det er intet; *Nihil eſt;* cùm exprimendum eſt rem non ita ſe habere. Romanis certè Scriptoribus ſatìs cognita locutio; Ita enim *Terentius Andr. act. 2. ſc. 2.*

Lætus eſt, neſcio qvid. P. *Nihil eſt.*

Item *Heaut. act. 2. ſc. 2.* Præ gaudio, ubi ſim, neſcio: ita timui. Cl. At ego *nihil eſſe* ſcribam, Clinia.

Idem ibid: act. 4. ſc. 1. Nam qvod ſperem de argento, aut poſſe poſtulem me fallere, *nihil eſt.*

Eundem dicendi modum repetit *Cicero lib. 12. epiſt. 30.* De Accio Dionyſio *nihil* puto *eſſe*; qvoniam nihil mihi dixit Stratorius.

3. Non de iis tantùm, qvi otioſi omnino ſunt; verùm de iis etiam, inanem qvi ſumunt operam, dicimus: De giøre intet; qvô certè modô & *Latini* loqvuntur: *Nihil agunt.* Non abominatur locutionem hanc *Tullius*, qvi *de Senect.* ita: *Ni-*

Nihil ergo *agebat* Qv. Màximus, *nihil* L. Paulus pater tuus Scipio ſocer, optimi viri filii mei & cæteri ſenes? Fabricii, Curii, Coruncani, qvum rempublicam conſiliô & authoritate defendebant, *nihil agebant?*

Videatur & *Plinius epiſt.* 9. Satius eſt enim, ut Attilius noſter eruditiſſimè ſimul & facetiſſimè dixit, otioſum eſſe, qvàm *nihil agere.*

4. E circo Literatorum neq; exploſam volumus hanc noſtram loqvendi conſvetudinem: Jeg forſtaar intet/ hvad hand ſiger; pro, Jeg forſtaar ikke 2c. *Nihil intelligo, qvid dicat;* pro, *Non intelligo &c.* Ubi τὸ *nihil* non minus apud *Latinos*, qvàm apud *Danos* vicem Adverbii *non* ſubit. Id qvod Latinorum ſcriptorum defenditur auctoritate; *Terentius* enim *Andr. act.*4.*ſc.*3.

Ego, qvid agas, *nihil intelligo.*

Cicero lib. 4. *Tuſcul. Quæſt.* Æmulatio autem dupliciter qvidem illa dicitur, ſed eâ *nihil* hôc loco utimur.

Livius lib. 34. *cap.* 31. *Nihil* comparare ſingula, neceſſe eſt.

Symmachus lib. 10. *epiſt.* 17. *Nihil* moramur externa miracula.

§. IX. Qvi

§. IX.

Qvi Latinæ se lingvæ non imperitos arbitrantur, hanc itidem Danicæ orationis structuram admittunt: At sidde i Solen; gaa i Solen; *In sole sedere, in sole ambulare.* Ubi *in sole* nihil certè aliud est, qvàm *in radiis solis*, vel *in loco*, ad qvem radii solis deferuntur. A qvo dicendi modo ipse Romanæ latinitatis pater *Cicero* neqvaqvam abhorruit, *lib. 2. de Orat.* dicens:

> Ut cùm *in sole ambulem*, etiamsi aliam ob causam ambulem, fieri naturâ tamen, ut colorer; sic cùm istos libros studiosus legerim, sentio orationem meam illorum cantu qvasi colorari.

Idem lib. 4. de Finibus bon. & mal. In sole lucernam adhibere nihil interest.

Et *lib. 5. Tuscul.* Diogenes Alexandro roganti, ut diceret, si qvid ipsi opus esset; Nunc qvidem paululum, inqvit, *à sole* absis; officiebat enim apricanti.

§. X.

Qvod ad genera loqvendi attinet, qvibus nos vocabuli nostri, Stæd/ appellationem adhibemus, & in qvibus *Latini* eundem voci suæ, *Locus*, permittunt usum, ex

eorum iſtud numero eſt: Jeg vilde ikke være i dit Stæd; *Nollem in tuo eſſe loco.* Id qvod ejusmodi aliàs latinitate donari poteſt: *Nollem rem meam agi; nollem res meas eò eſſe adductas; nollem in eandem aleam veniſſe; nollem in eadem eſſe navi;* Vel, ut jocoſâ *Henrici Stephani* utar locutione: *Meum corium tuo permutare nollem.* Nos verò unus tantùm *Plautinus* locus *in Bacchid.* hanc in ſententiam impulit;

> Verùm, ut ego opinor, ſi ego *in iſtoc ſiem loco*, dem potius aurum, qvàm illum corrumpi ſinam.

Pulchrè enim dicitur: *ſi in iſto eſſem loco*, pro eo qvod eſt: *ſi meum eſſet negotium; ſi mea res ageretur.*

2. Etiam Latinâ qvadam ſtructurâ gaudet: At ſtaa een i Faders ſtæd; *Parentis locô*, vel, *in parentis loco alicui eſſe.* De qvo dicendi genere ſententiam ſuam hîs verbîs ita exponit *Valla lib. 3. Locô patris, locô fratris, locô filii te habeo, non ita accipitur, qvòd ubi illi antea erant, ibi tu nunc apud me ſis; ſed qvòd in ea charitate, qvâ illi aut fuerunt, aut ſunt, aut eſſent, aut eſſe debent.* Hæc Valla. De cujus aucto-

rita-

ritate ne dubites, ſeqventia hæc Latinorum teſtimonia afferenda duximus:

Terentius Andr. act. 1. *ſc.* 5. Si te *in germani fratris* dilexi *loco.* Id eſt, *tanqvam fratrem.*

Idem Heaut. act. 1. *ſc.* 1. Amicam ut habeas propè jam *in uxoris loco.*

Metellus Ciceroni lib. 5. Te mihi *fratris locô* eſſe duxi.

Cicero in Verr. Ipſi *in hoſtium numero locóq;* ducemini.

§. XI.

Cæterum cùm in ſermone noſtro tale exſtet loqvendi genus: I dette Fald; cogitet *Lector*, annon cum bona latinitatis venia liceat dicere: *Hoc caſu*, vel *in hoc caſu.* Ex maximis qvidem latinitatis Magiſtris difficile fuerit qvicqvam exſculpere, qvod vindicandæ huic locutioni deſerviat, inter medioxumos tamen *Juſtinianus*, qvi latinitatem habet non peſſimam, ita ſcribit *Inſtitut. juris lib.* 2. *tit.* 17.

Si qvis aut noluerit heres eſſe, aut vivô teſtatore, aut poſt mortem ejus, anteqvam hereditatem adiret, deceſſerit; aut conditione, ſub qva heres inſtitutus eſt, defectus ſit; *in his ca-*

ſibus paterfamilias inteſtatus moritur.

Item *tit.* 14. Eſt tamen caſus, *in qvo* (*caſu*) nec cum libertate utiliter ſervus à domino heres inſtituitur.

Accedit præterea teſtimonio luculento *Henricus Stephanus*, cujus, *in lib. de Latin. falſò ſuſpect.* hæc ſunt: *Eſſe tamen Latinum, negari non poteſt, qvin aliqva ſermoni Jurisconſultorum injuria fiat.*

§. III.

Qvasdam nunc ſermonis noſtri elegantias, ex vernacula voce, Vey; fluentes, ad Latinæ lingvæ Idiotismos deflectere animus eſt. Qvas inter haud inſveta nobis hæc eſt: Hand er paa den rætte Vey; *Rectam inſtat viam*, cùm ſcilicet alicujus approbamus narrationem. Et ex Scriptoribus Romanis ut oſtendatur ſignificationis hujus innocentia, prodeat *Plautus*, qvi *Aſinar. act.* 1. *ſc.* 1. ita:

Eſtne hoc ut dico Libane? L. *rectam inſtas viam*, ea res eſt. Id eſt, *ſic res habet, ut dicis.*

2. Nec illud omittendum, qvòd *Via* nonnunqvam pro ratione & modo aliqvid faci-

endi usurpetur; *ut*, Dette gik ikke an/ vi faaer at finde paa en anden Vey/ ɔ: paa andre Raad. Eodem certè modô locutûs est *Terentius Andr. act. 4. sc. 1.*

Hâc non successit, *aliâ aggrediemur viâ.*

Neq; ferè aliter *Virgilius lib. 4. Æneid. Inveni*, germana, *viam*, gratare sorori. In qvem locum *Servius: rationem, remedium.*

Et paulò pòst *lib. 6. Æneid.* Este duces ô, *si qva via est.* Ubi idem Interpres: *Si est ratio; si qvoqvomodo fieri possit.*

Manifestè *Cicero lib. 2. in Verrem*: Habeo autem *certam viam atq; rationem*, qvâ omnes illorum conatus investigare & conseqvi possim.

§. XIII.

Sed qvis harum numero exturbare ausit locutionem: At beholde Marken; *Campum retinere*? *Campus* autem locum pugnæ hìc designat & expeditionem, cùm sub dio ac pellibus habetur miles. Non insonuit qvîdem locutio hæc optimis optimi ævi auribus, Auctorem tamen agnoscit *Sidoninm Apollinarem*; Is enim *in Carminibus suis* ita:

Sic

Sic agmina veſtra Cum ſpoliis *campum retinent*, & Marte fruuntur.

Eâdem ferè ſignificatione capitur & vocabulum, *campus*, cùm Famianus Strada *Fortunam* vocaverit *campi dominam*; Ubi *campus* uſurpatur pro iis, qvæ in campo geruntur, vulgatâ optimis ſcriptoribus Metonymiâ; qvô certè nomine corruptæ latinitatis dicam ei ſcripſit *Caſpar Scioppius* ſub initium libri, qvem *Infamiam Famiani* inſcripſit. Verùm conſulatur hac de re *Celeberr. Borrichius*, ſtrenuus ille *Famiani* Vindex, *Cogitat. Philolog. pag. m.* 284.

§. XIV.

Ab iis loqvendi modis, latinitatem qvi ſapiunt, nec abhorret: Det er kun Snak; det er kun Ord; *Verba iſtæc ſunt*; Id eſt, *Pro nihilo æſtimanda ſunt, nihil efficient*. Ecce teſtem luculentum *Terentium*, qvi *Phorm. act.* 3. *ſc.* 2. ita:

Idem hoc tibi, qvod bene promeritus fueris, conduplicaverit. D. *Verba iſtæc ſunt.*

Hinc *Verba dare*, fallere, decipere eſt. Intuere mecum eundem *Terentium Prolog. Eunuch.*

Exclamat, furem, non Poëtam, fabulam

lam dediſſe, & *nihil dediſſe verborum* tamen. Ubi *Donatus*: Dare, *inqvit*, verba *decipere eſt; qvia qvi rem exſpectat, & nihil præter verba invenit, deceptus eſt.*

In qvam ſententiam citamus & *Ciceronem*, apud qvem conjuncta leguntur *dare verba* & *decipere*. Is enim 13. *Philipp.*

Scilicet *verba dedimus; decepimus;* ignorabat legio Martia qvarta, neſciebant veterani, qvid ageretur.

2. Cùm brevitati ſtudentes ſcire diſcupimus, qvomodo ſe res habeat, dicimus: Siig med it Ord; Nec abludunt Latini: *Uno verbô dic*; pro, *Uno* ἀξιώματι, *unâ ſententiâ*, ut *Donatus* interpretatur locum illum *Terentianum Andr. act.* 1. *ſc.* 1.

Qvin tu *uno verbô dic*, qvid eſt, qvod me velis.

Inflat eandem tibiam *Plautus Trucul. act.* 1. *ſc.* 6. *Uno verbô eloqvere.*

Verbum enim haud rarò pro *integro ſermone*, ſive *Oratione* ponitur; *ut*,

Miſeram me: *qvod verbum* audio? *Terent. Andr. act.* 1. *ſc.* 5.

§. XV.

In ſeqventi qvoq; conſtructione nobis cum

veteribus Latinis optimè convenit: At sætte Exempel paa een; pro, At straffe een haardeligen; *Exemplum in aliqvem statuere*; pro, *Gravem & manifestam pœnam ab aliqvo exigere.* Et ne qvis existimet fœtum esse Daniæ nostræ, audiantur hìc Latinæ lingvæ laudati fideq; digni testes;

Cicero lib. 5. in Verr. In qvos aliqvid exempli populus Romanus *statui* putat oportere, ab iis tu defensionis exempla qværis?

Plautus Rud. Statuite exemplum impudenti, date pudori præmium.

Terentius in prolog. Heaut. Exemplum statuite in me.

Idem Eunuch. act. 5. sc. 7. Edere *exempla* in aliqvem.

Et Adelph. act. 5. sc. 1. Exemplum omnibus curarem ut esses.

Cæsar. lib. 1. bell. Gall. Obsides nobilissimi cujusq; liberos poscere, & in eos *omnia exempla* cruciatúsq; edere.

Ovidius lib. 10. Metam. Cavere *exemplo* aliqvid.

Qvibus Scriptoribus *exemplum* & *pœna* pari omnino passu ambulant. Hinc *Donatus* ad

ad Terent. Eunuch. act. 5. sc. 7. *Nova*, inqvit, *ac mira tormenta, qvæ pro exemplis narrentur, aut qvæ ducumento sint cæteris, ne delinqvant*, exempla *dicuntur*. Idem paulò antè ad act. 5. sc. 5. *Graves*, inqvit, *pœnæ, qvæ possunt cæteris documento esse*, exempla *dicuntur*.

§. XVI.

Ab oratione Latina nec exulat: Det er Tid at giøre dette; *Tempus est hoc facere*. Ubi *tempus* non *qvodcunq; tempus* sed *justum & commodum*, immò qvô oportet vel necesse est aliqvid fieri, significat. Romanis se scriptoribus vindicat, qvos inter *Plautus Milit. glorios.* ita disserit:

Tempus est, ut eamus ad forum.

Terentius Eunuch. act. 1. *sc*. 1. Proin tu, *dum tempus est*, etiam atq; etiam cogita.

Idem Hecyrâ act. 4. *sc*. 4. Reduc uxorem: aut qvamobrem non opus sit, cedo. *Pa*. *Non est nunc tempus*.

Cicero lib. 4. *epist*. 5. *ad Attic*. *Jam tempus est*, meipsum à me amari, qvando ab aliis nullo modô possum.

Nepos Datame: *Tempus est* majores exercitus parari.

Virgilius Eclog. 3. Ipse. *ubi tempus erit*, omnes in fonte lavabo.

§. XVII.

Antiqva qvoq; Latii locutio est: Med Villie / med goed Villie; qvam voce, *voluntate*, Latini sic exprimunt:

Terentius Adelph. act. 3. *sc.* 4. Qvod vos jus cogit, id *voluntate* impetret.

Idem Phorm. act. 5. *sc.* 3. Fac illa ut placetur nobis; ut *suâ voluntate*, id qvod est faciundum, faciat.

Cicero lib. 2. *de Finib. Suâ voluntate*, nullâ vi coactus.

Sallustius Bell. Jugurth. Urbes partim vi, alias *voluntate*, imperio suo adjecit.

2. Ejusdem moneræ est: At giøre eens Villie; *Voluntatem alicujus facere.* A qvo loqvendi modo ne ipse qvidem *Qvintilianus* abstinuit *lib.* 5. *cap.* 10. Ubi nomine *voluntatis* non ipsa *facultas*, seu vis animæ, qvâ volumus, significatur; sed *objectum*, id est, res qvam volumus; ita ut *voluntatem alicujus facere* idem sit, qvod *facere qvod aliqvis vult.*

§. XVIII.

Haud insveta sermoni nostro locutio est:

At

At ſlaa noget hen i Vejret; pro, At forglemme noget / at ſlaa noget af ſit Sind. Propinqvam certè cognationem hìc habet noſtrum, Vejr / cum Latina voce, *Ventus*, ut, *Ventis aliqvid dare, tradere*; qvô ſignificatur *oblivioni tradere, ex animo ejicere.* Prodeat hìc *Servius*, qvi locutionem hanc in proverbium abiiſſe notat ad illud *Virgilii lib.* 10. *Æneid.*

Nec ferre videt ſua gaudia *ventos.*

Illuſtrius teſtimonium *Horatii* exſtat *Carm. lib.* 1. *od.* 26.

Triſtitiam & metus tradam protervis
in mare Creticum portare *ventis.*
In qvem locum ſic Interpres: Tradere ventis, *eſt oblivioni tradere; perinde ac ſi diceret*: ego omnes curas ex animo ejiciam.

§. XIX.

Hunc itidem loqvendi modum, tanqvam Latinismum ſpirantem, afferre non dubitamus: At abe ſig efter een; *Simiam alicujus eſſe*; cùm qvis, more ſimiæ, alium affectate & ſtultè imitatur, ejúsq; mores effingere geſtit. Ac ne formidetur vocabu-

li

li hujus uſus, efficiet *Plinius epiſt.* 5.

In qvo ruſticum inſectatur, atq; etiam *Stoicorum ſimiam* appellat.

§. XX.

Luce deniq; meridianâ clarius eſt, idem haud inconvenienter Latinis ſignificâſſe, *Audientia*, qvod nobis hodie ſignificat, Audientz; Verbi gratiâ: At give een Audientz; *Facere alicui audientiam*; pro, *Facere ut qvis audiat.* Id qvod bonis uſurpari Auctoribus non arduum erit demonſtrare;

Plautus Pœnulô: Exſurge, præco, *fac populo audientiam.* Id eſt, *Fac ut populus audiat.*

Cicero in Verr. Qvantam deniq; *audientiam* orationi meæ improbitas illius *factura ſit.*

Livius Decad. 5. *lib.* 3. *Audientiam facere* præconem juſſit.

Atq; hæc de *Subſtantivorum* Locutionibus dicta ſuffecerint; ſupereſt, ut parî jam fide & induſtriâ verſemur in tradendis *Adjectivorum* Locutionibus. Seqvitur itaq;

AR-

ARTICULUS POSTERIOR
De
Locutionibus, è NOMINIBUS ADJECTIVIS natis.

§. I.

Ad illa primùm, qvæ Latinorum Adjectivum, *Bonus*, subministrat, loqvendi genera veniendum est. Horum è numero est: En goed deel Bøger; *Bona librorum pars* vel *copia;* pro, *Magna pars, magna copia.* Adsunt & qvidem nobilissimi Latini scriptores, qvi ab hac locutione non abstinuêre;

Horatius lib. 1. *epist.* 18. Sit *bona librorum* & provisæ frugis in annum *Copia.*

Idem lib. 1. *sat.* 1. At *bona pars hominum* decepta cupidine falsâ.

Cicero lib. 2. *de Orat.* Ajebat *bonam partem sermonis* in hunc diem esse dilatam.

Ovidius in Fastis: Pars bona montis erat.

2. Sed qvoniam in sermonem incidimus de Latino Adjectivi hujus usu, qvi eâdem

cum

cum nostro significatione congruit, non omittamus & qvendam ejusdem Nominis usum, qvòd & rarus sit, & magna in hoc qvoq; lingvæ nostræ cum Latina sit convenientia. Dicimus nos: Hand er god for at giøre det; Id Latinô sic efferri potest sermone: *Bonus est illud facere.* Id qvod idoneâ Latinorum jam confirmabimus auctoritate;

Virgilius Eclog. 5. *Boni* convenimus ambo, Tu calamos *inflare* leves, ego *dicere* versus. *Boni inflare* calamos, & *boni dicere* versus, id est, inflandorum calamorum, & dicendorum versuum periti.

Valerius Flacc. lib. 1. Tu medios gladiô *bonus ire* per hostes.

Statius lib. 2. *Optimus* idem *condere* divitias opibúsq; *immittere* lucem.

De hoc Adjectivorum qvorundam usu elegantissima exstat *Celeberr. Bangii* monitio, hîsce descripta verbîs: *Adjectiva Dativum postulantia per eandem dicendi figuram* (sc. Hellenismum) *Infinitivis jungi amant. Observat. Philolog. pag.* 862.

§. II.

Romanâ velut civitate donamus & vocabu-

bulum noſtrum, Opblæſt; puræ qvippe ac illibatæ latinitati minimè adverſum eſt hoc noſtrum loqvendi genus: Jt opblæſt Sind; *Inflatus animus;* pro, *Elatus, ſuperbus animus.* Fervidum locutionis hujus patronum invenimus *Ciceronem lib. 3. Tuſcul.*

> Sic igitur *inflatus & tumens animus* in vitio eſt; ſapientis autem animus ſemper vacat vitio, nunqvam turgeſcit, nunqvam tumet.

§. III.

Nobile illud lingvarum par, *Latina* ut & *Danica*, mirum qvantum conſpirent in uſurpando Adjectivo, *Unus*; *Danica*; ut, Der var en Mand; *Latina*; ut, *Unus vir erat*; pro, *qvidam* ſive *aliqvis vir erat.* Qvòd autem *Voſſius* hanc eloqvendi rationem non ſatìs Latinam, ſed à lingva *Gallica Germanicáve* mutuatam exiſtimare videtur *lib. 1. de vitiis Serm. cap. 33.* in eo nimiùm liberalis eſt, cùm ab eadem locutione *Plautus, Terentius aliiq́* optimi ævi Scriptores neutiqvam abhorruerint;

> *Plautus Trucul. act. 1. ſc. 2.* Qvis is homo eſt, Aſtaphium, *unúsne amator?*

Idem

Idem ibid. act. 2. *ſc.* 1. Sed eſt hic *unus ſervus* violentiſſimus.

Terentius Andr. act. 1. *ſc.* 1. Forte *unam* aſpicio *adoleſcentulam.* Ubi *Donatus : Tolle* unam, & *ita fiet, ut ſenſui nihil deſit, ſed conſvetudo mirantis non erit expreſſa.* Unam *ergo* τῷ ἰδιωτισμῷ *dixit ; vel* unam *pro* qvandam.

Cicero lib. 7. *epiſt.* Qvanqvam qvicum loqvor ? cum *uno fortiſſimo viro.*

Idem lib. 13. Lucio Egnatio, *uno Eqvite Romano*, vel familiariſſimè utor.

Ovidius lib. 6. *Metamorph.* Profectáq; tradidit *uni*, Utq; ferat dominæ, geſtu rogat. *Uni*, id eſt, *cuidam.*

Seneca lib. 3. *Controv.* Ut illum verſum, qvô ajebat *unum meliorem* invenire non poſſe.

2. Neq; ab omni Latinorum uſu remota videtur hæc noſtra loqvendi formula: Der var een og anden; *Unus & alter erat* ; cùm *Ciceroni aliisq;* Latinæ lingvæ ſcriptoribus fuerit in deliciis ;

Cicero lib. 4. *in Verr.* Repentè iſte teſtes citari jubet, dicit *unus & alter* breviter, nihil interrogatur.

Idem

Idem alicubi: *Unus & alter dies* intercesserat.

Horatius de Arte: *Unus & alter* Assuitur pannus.

Terentius Andr. act. 1. *sc.* 1. Sed postqvam amans accessit, pretium pollicens, *unus & item alter*. Id est, *plures*; teste *Donato*.

§. IV.

Idem certè pretium statuimus voci nostræ, Stor / qvæ non semper *qvantitatem*, sed interdum & *qvalitatem*, *dignitatem* aut *præstantiam* rei significat; *ut*, En stoer Mand; *Magnus Vir*; pro, *Summâ auctoritate* vel *virtute præditus Vir*; Ibi enim *qvantitas* non *molis*, sed *dignitatis* vel *virtutis* intelligitur. Pulchrè hoc convenit cum illo *Ciceronis de nat. Deor.*

Nemo *vir magnus* sine aliqvo afflatu divino unqvam fuit.

Et cum illo *Nepotis in vita Pausan.* Pausanias Lacedæmonius, *magnus homo*.

§. V.

Sed ne in aliis vocibus, qvæ Latinis usurpantur Scriptoribus, adducendis taciturni deprehendamur, audiantur & qvædam lo-

qvendi genera, ex illorum voce, *Durus*, deducta. Horum primum erit: Hand er en haard Mand; *Homo durus est*; pro, *Inexorabilis*, *crudelis*, *immisericors*. Usurpatum hoc fuisse aureo latinitatis seculo svadere videntur illa *Terentiana Phorm. act.* 3. *sc.* 2.

Adeone *ingenio* esse *duro* te atq; inexorabili, ut neq; misericordiâ, neq; precibûs molliri qveas?

Ciceroni qvoq; familiare est *lib.* 7. *in Verr.* qvis tam fuit illo tempore *durus* & ferreus, qvis tam inhumanus, præter unum te?

Idem lib. 2. *Offic.* *Duri* enim *hominis*, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis.

2. Simili loqvendi modo & illud affine est: Haard=føer; *Durus*; pro, *Patiens*, id est, *nullo labore*, *nullâ acerbitate fractus*, *obfirmatus adversus omnia*, *qvæ incidunt atq; affligunt*. Iniqvum esset, ut nullo omnino scriptore vocabulum hoc se tueretur. Accedat itaq; patronus *Ovidius*, qvi *lib.* 5. *Trist. eleg.* 6. *Ulyssem durum* vocat.

Si nihil infecti *durus* vidisset *Ulysses* &c.

Unde

Unde & *loboriosum* Horatius *Epodis* appellat.

Virgilius lib. 1. *Georg.* Dicendum, & qvæ sint *duris agrestibus* arma.

Item *lib.* 5. *Æneid. Gens dura & aspera cultu.*

3. Qvi Latinæ se lingvæ peritum profitetur, Latio non excludit vocabulum nostrum, Haard=nakkit; *Duræ cervicis homo;* pro *Inexorabili, superbo & cervicoso;* *Calepino* haud ignotâ voce. Græcis σκληραύχην, *id est*, qvi durâ est cervice, cui indomita est cervix. *Suid. Plut.* Unde *Valla lib.* 4. *cap.* 36. *Qvoniam nervi*, inqvit, *qvi corpus erectum rigidúmq; faciunt, in cervice sunt collocati; idcirco dicimus* hominem duræ cervicis, *qvasi indomabilem, more ferocium boum; vel qvi cervice erectâ & rigidâ, contumaciam qvandam mentis præ se fert, tanqvam nemini caput inclinare volens.* Hæc *Valla*. Sed *Ciceronem* præterea patronum agnoscit sententia nostra, *Accus.* 3. *cap.*

Qvid facis? qvid decernis? Recuperatores dicis te daturum; bene agis; tametsi qvi erunt *tantis cervicibus recuperatores*, qvi audeant; cùm

Prætor adſit, non ſolùm contra voluntatem ejus, ſed etiam contra fortunas ejus judicare? Ubi *cervicibus tantis eſſe*, idem ſignificat, qvod *tam audaces*, *tam ſuperbos eſſe*.

4. Latinorum qvoqve Idiotismum ſapiunt: Haard Straf; haard Død; haard Tieniſte; *Pœna dura*, *mors dura*, *ſervitus dura*; Nam qvicqvid affligit & premit, atq; perpeſſu aſperum eſt, *durum* vocatur. Freqventiſſimè hìc *Plautus*, *Terentius aliiq;* præiverunt; ex qvibus facile eſſet teſtimonia congerere, ſi operæ videretur pretium.

§. VI.

Ironiam ſæpiſſimè non minus apud *Latinos*, qvàm apud *Danos* inferre videtur vocula *Egregius*, Hœrlig; qvâ ſcilicet aliud ſignificamus, aliud re ipſâ ſentimus; *ut*, En hœrlig Mand; *Egregius Vir*; pro, *Vir minimè egregius*. Cujus generis Ironiam paſſim obviam in Latino ſermone clarîs nos teſtimoniîs evincimus:

Virgilius lib. 4. *Æneid. Egregiam* verò *laudem* & ſpolia ampla refertis.

Clau-

Claudianus : *Egregii* qvoties exiſſet *fœderis* auctor.

Virgilius lib. 1. *contra Eutych.* Miror, qvomodo non moveat *iſtos egregios Doctores* Apoſtolus.

Placuit & *Ciceroni pro Qvint.* Tum *iſte vir optimus* (vereor, ne ſe derideri putet, qvòd iterum jam dico, *optimus*) qvi &c.

§. VII.

Nec dubitare licet Latinam vocem, *Acutus*, uſu & *Danicam* eſſe & *Latinam*. Dicimus enim: En ſkarp Kuld / en ſkarp Froſt; placet idem Latinis: *Acutum gelu*; pro, *Frigus* vel *gelu magnum*, *vehemens*; qvod *Virgilio* dicitur *penetrabile frigus*. Qvia & qvi nivem tractant, & qvi à frigore læduntur, ſimilî qvodam modô afficiuntur, atq; ii, qvos ferri acies pupugerit. A ſignificatione hac non abſtinuit *Horatius*, cùm ita ſcribit *Carm. lib.* 1. *od.* 9.

Geluq; flumina conſtiterint *acutâ*.

2. Habemus & aliam ejusdem vocis ſignificationem, Latinis perqvam familiarem, cùm dicimus: Skarpe Øyne; *Oculi acutì*;

cuti; pro, *Clarè cernentes oculi.* Cui rei fidem ut faciamus, ad partes vocamus *Plautum*, cujus verba *Pseudol. act.* 4. *sc.* 7. hæc sunt;

Magno capite, *acutis oculis.*

Huc qvadrat & illud *Horatii Serm. lib.* 1. *sat.* 3. Cur in amicorum vitiis tam *cernis acutum.* Id est, *acutè.*

§. VIII.

E Latina itidem lingva in Daniam invecta videtur vox, *Altus*, eâdem omnino significatione, qvâ ad somnum multum ac profundum denotandum à nobis adhibetur; *ut*, En dyb Søfn; *Altus somnus* vel *sopor.* Habemus, qvos hac parte seqvamur, illustres scriptores; Ita enim *Virgilius lib.* 8. *Æneid.*

Nox erat; & terras animalia fessa per omneis Alituum pecudúmq; genus *sopor altus* habebat.

Et *Horatius Serm. lib.* 2. *sat.* 1. *Somno* qvibus est opus *alto.*

Item *Livius lib.* 7. *Altissimus somnus.*

§. IX. Vin-

§. IX.

Vindicare deinde instituimus usum vocabuli nostri, Yderste; nec iratis, ut speramus, Musis; *Ex.gr.* yderste Nød; *Extrema necessitas*; pro, *Necessitas maxima, & ultra qvam nulla sit necessitas major.* Qvam sanè loqvendi consvetudinem sibi permisit *Sallustius lib.* 1.

Neq; qvisqvvm *extremam necessitatem*, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat.

2. Ejusdem notæ ac monetæ est: At holde ud til det yderste; *In* vel *ad extremum durare*; pro, *Ad finem usq; durare.* Adducimus hanc in rem testimonium *Ovidii*, iîsdem in epist. descriptum verbîs:

Durare *in extremum*.

Nec nihil huc facit illud *Plinii lib.* 5. *epist.* 3. Duravit his illi animus usq; *ad extremum*.

Item illud *Ciceronis ad Brutum*: Cui Consuli non animus ab initio, non fides *ad extremum* defuit.

§. X.

Ex Adjectivo nostro, Sidste; nonnulla

deniq; exſculpi poſſunt loqvendi genera, latinitati minimè adverſa; Sidſte Ære/ ſidſte Tieniſte; *Supremi honores*, *ſuprema officia*; pro *Funeralibus* vel *officiis*, qvæ morienti exhibentur. Latinos ita loqvi ut perſvadeamus Lectori, intercedit *Ovidius ad Liviam*:

> Nec juvenis poſiti *ſupremos* deſtrue *honores*.

> Item *Tacitus lib.* 5. Qvòd *ſupremis* in matrem *officiis* defuiſſet.

Nonnunqvam & abſolutè ponitur, abſente Subſtantivô; *ut*,

> Igitur cupido Cæſarem invadit ſolvendi *ſuprema* militibus ducíq;. *Tacit.*

CLAS-

CLASSIS SECUNDA DE FORMULIS,

qvas

In PRONOMINIBUS observavimus.

Hæc de NOMINIBUS eorúmq; varia significatione & usu; superest modò, ut unam alterámve PRONOMINUM structuram perseqvamur.

§. I.

Qvantum itaq; ex Grammaticorum lectione & collatione licet colligere, distincta invicem sunt *Reciproca* & *Relativa Pronomina*, usq;adeo, ut violatæ latinitatis reum pronunciemus illum, qvi pro alteris altera usurpat; *Verbi causâ*; si qvis dicat: *Jussit, ut ad eum veniret*; pro, *ut ad se veniret*. Nihilominus tamen videmus, optimos qvoq;Scriptores tale sibi qvandoq;permisisse; qvos improbare, eísq;dicam corruptæ latinitatis scribere, nostra nec parvi-

Idem ibid. act. 2. *sc.* 1. Sed est hic *unus servus* violentissimus.

Terentius Andr. act. 1. *sc.* 1. Forte *unam* aspicio *adolescentulam.* Ubi *Donatus : Tolle* unam, *& ita fiet, ut sensui nihil desit, sed consvetudo mirantis non erit expressa.* Unam *ergo* τῷ ἰδιωτισμῷ *dixit ; vel* unam *pro* qvandam.

Cicero lib. 7. *epist.* Qvanqvam qvicum loqvor? cum *uno fortissimo viro.*

Idem lib. 13. Lucio Egnatio, *uno Eqvite Romano*, vel familiarissimè utor.

Ovidius lib. 6. *Metamorph.* Profectáq; tradidit *uni*, Utq; ferat dominæ, gestu rogat. *Uni*, id est, *cuidam.*

Seneca lib. 3. *Controv.* Ut illum versum, qvô ajebat *unum meliorem* invenire non posse.

2. Neq; ab omni Latinorum usu remota videtur hæc nostra loqvendi formula: Der var een og anden; *Unus & alter erat*; cùm *Ciceroni aliisq;* Latinæ lingvæ scriptoribus fuerit in deliciis;

Cicero lib. 4. *in Verr.* Repentè iste testes citari jubet, dicit *unus & alter* breviter, nihil interrogatur.

Idem

Idem alicubi: *Unus & alter dies* intercesserat.

Horatius de Arte: *Unus & alter* Assuitur pannus.

Terentius Andr. act. 1. sc. 1. Sed postqvam amans accessit, pretium pollicens, *unus & item alter*. Id est, *plures*; teste *Donato*.

§. IV.

Idem certè pretium statuimus voci nostræ, Stor/ qvæ non semper *qvantitatem*, sed interdum & *qvalitatem*, *dignitatem* aut *præstantiam* rei significat; *ut*, En stoer Mand; *Magnus Vir*; pro, *Summâ auctoritate* vel *virtute præditus Vir*; Ibi enim *qvantitas* non *molis*, sed *dignitatis* vel *virtutis* intelligitur. Pulchrè hoc convenit cum illo *Ciceronis de nat. Deor.*

Nemo *vir magnus* sine aliqvo afflatu divino unqvam fuit.

Et cum illo *Nepotis in vita Pausan.* Pausanias Lacedæmonius, *magnus homo.*

§. V.

Sed ne in aliis vocibus, qvæ Latinis usurpantur Scriptoribus, adducendis taciturni deprehendamur, audiantur & qvædam lo-

qvendi genera, ex illorum voce, *Durus*, deducta. Horum primum erit: Hand er en haard Mand; *Homo durus est*; pro, *Inexorabilis*, *crudelis*, *immisericors*. Usurpatum hoc fuisse aureo latinitatis seculo svadere videntur illa *Terentiana Phorm. act.* 3. *sc.* 2.

> Adeone *ingenio* esse *duro* te atq; inexorabili, ut neq; misericordiâ, neq; precibûs molliri qveas?

Ciceroni qvoq; familiare est *lib.* 7. *in Verr.* qvis tam fuit illo tempore *durus* & ferreus, qvis tam inhumanus, præter unum te?

Idem lib. 2. *Offic.* *Duri* enim *hominis*, vel potius vix hominis videtur, periculum capitis inferre multis.

2. Simili loqvendi modo & illud affine est: Haard=føer; *Durus*; pro, *Patiens*, id est, *nullo labore*, *nullâ acerbitate fractus*, *obfirmatus adversus omnia*, *qvæ incidunt atq; affligunt*. Iniqvum esset, ut nullo omnino scriptore vocabulum hoc se tueretur. Accedat itaq; patronus *Ovidius*, qvi *lib.* 5. *Trist. eleg.* 6. *Ulyssem durum* vocat.

> Si nihil infecti *durus* vidisset *Ulysses* &c.

Unde

Unde & *loboriosum* Horatius *Epodis* appellat.

Virgilius lib. 1. *Georg.* Dicendum, & qvæ sint *duris agrestibus* arma.

Item *lib.* 5. *Æneid. Gens dura &* aspera cultu.

3. Qvi Latinæ se lingvæ peritum profitetur, Latio non excludit vocabulum nostrum, Haard-nakkit; *Duræ cervicis homo*; pro *Inexorabili, superbo & cervicoso*; *Calepino* haud ignotâ voce. Græcis σκληρόυχην, *id est*, qvi durâ est cervice, cui indomita est cervix. *Suid. Plut.* Unde *Valla lib.* 4. *cap.* 36. *Qvoniam nervi*, inqvit, *qvi corpus erectum rigidúmq; faciunt, in cervice sunt collocati; idcirco dicimus* hominem duræ cervicis, *qvasi indomabilem, more ferocium boum; vel qvi cervice erectâ & rigidâ, contumaciam qvandam mentis præ se fert, tanqvam nemini caput inclinare volens.* Hæc *Valla*. Sed *Ciceronem* præterea patronum agnoscit sententia nostra, *Accus.* 3. *cap.*

Qvid facis? qvid decernis? Recuperatores dicis te daturum; bene agis; tametsi qvi erunt *tantis cervicibus recuperatores*, qvi audeant, cùm

Prætor adſit, non ſolùm contra voluntatem ejus, ſed etiam contra fortunas ejus judicare? Ubi *cervicibus tantis eſſe*, idem ſignificat, qvod *tam audaces*, *tam ſuperbos eſſe*.

4. Latinorum qvoqve Idiotismum ſapiunt: Haard Straf; haard Død; haard Tieniſte; *Pœna dura*, *mors dura*, *ſervitus dura*; Nam qvicqvid affligit & premit, atq; perpeſſu aſperum eſt, *durum* vocatur. Freqventiſſimè hìc *Plautus*, *Terentius aliiq;* præiverunt; ex qvibus facile eſſet teſtimonia congerere, ſi operæ videretur pretium.

§. VI.

Ironiam ſæpiſſimè non minus apud *Latinos*, qvàm apud *Danos* inferre videtur vocula *Egregius*, Hœrlig; qvâ ſcilicet aliud ſignificamus, aliud re ipſâ ſentimus; *ut*, En hœrlig Mand; *Egregius Vir*; pro, *Vir minimè egregius*. Cujus generis Ironiam paſſim obviam in Latino ſermone clarîs nos teſtimoniîs evincimus:

Virgilius lib. 4. *Æneid. Egregiam* verò *laudem* & ſpolia ampla refertis.

Clau-

Claudianus: *Egregii* qvoties exiſſet *fœderis* auctor.

Virgilius lib. 1. *contra Eutych.* Miror, qvomodo non moveat *iſtos egregios Doctores* Apoſtolus.

Placuit & *Ciceroni pro Qvint.* Tum *iſte vir optimus* (vereor, ne ſe deri-deri putet, qvòd iterum jam dico, *optimus*) qvi &c.

§. VII.

Nec dubitare licet Latinam vocem, *Acutus*, uſu & *Danicam* eſſe & *Latinam*. Dicimus enim: En ſkarp Kuld / en ſkarp Froſt; placet idem Latinis: *Acutum gelu*; pro, *Frigus* vel *gelu magnum*, *vehemens*; qvod *Virgilio* dicitur *penetrabile frigus*. Qvia & qvi nivem tractant, & qvi à frigore læduntur, ſimilî qvodam modô afficiuntur, atq; ii, qvos ferri acies pupugerit. A ſignificatione hac non abſtinuit *Horatius*, cùm ita ſcribit *Carm. lib.* 1. *od.* 9.

Gelúq; flumina conſtiterint *acutô*.

2. Habemus & aliam ejusdem vocis ſignificationem, Latinis perqvam familiarem, cùm dicimus: Skarpe Øyne; *Oculi acutì*;

cuti; pro, *Clarè cernentes oculi.* Cui rei fidem ut faciamus, ad partes vocamus *Plautum*, cujus verba *Pseudol. act.* 4. *sc.* 7. hæc sunt:

Magno capite, *acutis oculis.*

Huc qvadrat & illud *Horatii Serm. lib.* 1. *sat.* 3. Cur in amicorum vitiis tam *cernis acutum.* Id est, *acutè.*

§. VIII.

E Latina itidem lingva in Daniam invecta videtur vox, *Altus*, eâdem omnino significatione, qvâ ad somnum multum ac profundum denotandum à nobis adhibetur; *ut*, En dyb Søfn; *Altus somnus* vel *sopor.* Habemus, qvos hac parte seqvamur, illustres scriptores; Ita enim *Virgilius lib.* 8. *Æneid.*

Nox erat; & terras animalia fessa per omneis Alituum pecudúmq; genus *sopor altus* habebat.

Et *Horatius Serm. lib.* 2. *sat.* 1. *Somno* qvibus est opus *alto.*

Item *Livius lib.* 7. *Altissimus somnus.*

§. IX. Vin-

§. IX.

Vindicare deinde instituimus usum vocabuli nostri, Yderste; nec iratis, ut speramus, Musis; *Ex. gr.* yderste Nød; *Extrema necessitas*; pro, *Necessitas maxima*, & *ultra qvam nulla sit necessitas major.* Qvam sanè loqvendi consvetudinem sibi permisit *Sallustius lib.* 1.

> Neq; qvisqvvm *extremam necessitatem*, nihil ausus, nisi muliebri ingenio, expectat.

2. Ejusdem notæ ac monetæ est: At holde ud til det yderste; *In* vel *ad extremum durare*; pro, *Ad finem usq; durare.* Adducimus hanc in rem testimonium *Ovidii*, iisdem in epist. descriptum verbis:

> Durare *in extremum.*

> Nec nihil huc facit illud *Plinii lib.* 5. *epist.* 3. Duravit his illi animus usq; *ad extremum.*

> Item illud *Ciceronis ad Brutum*: Cui Consuli non animus ab initio, non fides *ad extremum* defuit.

§. X.

Ex Adjectivo nostro, Sidste; nonnulla

deniq; exſculpi poſſunt loqvendi genera, latinitati minimè adverſa; Sidſte Ære/ ſidſte Tieniſte; *Supremi honores*, *ſuprema officia*; pro *Funeralibus* vel *officiis*, qvæ morienti exhibentur. Latinos ita loqvi ut perſvadeamus Lectori, intercedit *Ovidius ad Liviam*:

Nec juvenis poſiti *ſupremos* deſtrue *honores*.

Item *Tacitus lib*. 5. Qvòd *ſupremis* in matrem *officiis* defuiſſet.

Nonnunqvam & abſolutè ponitur, abſente Subſtantivô; *ut*,

Igitur cupido Cæſarem invadit ſolvendi *ſuprema* militibus duciq;. *Tacit*.

CLAS-

CLASSIS SECUNDA DE FORMULIS,

qvas

In PRONOMINIBUS obſervavimus.

Hæc de NOMINIBUS eorúmq; varia ſignificatione & uſu; supereſt modò, ut unam alterámve PRONOMINUM ſtructuram perſeqvamur.

§. I.

Qvantum itaq; ex Grammaticorum lectione & collatione licet colligere, diſtincta invicem ſunt *Reciproca* & *Relativa Pronomina*, usq; adeo, ut violatæ latinitatis rerum pronunciemus illum, qvi pro alteris altera uſurpat; *Verbi cauſâ*; ſi qvis dicat: *Juſſit, ut ad eum veniret*; pro, *ut ad ſe veniret*. Nihilominus tamen videmus, optimos qvoq; Scriptores tale ſibi qvandoq; permiſiſſe; qvos improbare, eísq; dicam corruptæ latinitatis ſcribere, noſtra nec parvi-

tas debet, nec antiqvitati debita reverentia. Hanc Latinorum loqvendi consvetudinem & nos tutò imitamur, qvando dicimus: Hand befoel / at hand skulde komme til ham; pro, at hand skulde komme til sig. Ut itaq; à barbarismi crimine innocens hæc structura maturè vindicetur, *Tullii* hìc *aliorúmq;* pugnabimus verbîs;

Cicero ad Attic. Una spes est salutis, istorum inter *istos* dissensio; pro, Inter *se*, vel inter *semetipsos* dissensio.

Idem lib. 3. *Offic.* Perfuga Fabricio pollicitus est, si præmium *ei* proposuisset, se Pyrrhum venenô necaturum; pro, si *sibi* proposuisset.

Curtius lib. 3. Justîs defunctorum corperibus solutîs, præmittit ad captivas, qvi nunciarent *ipsum* venire; pro, *se* venire.

Idem lib. 9. Abisari Alexander nunciari jussit, si gravaretur ad se venire, *ipsum* ad eum esse venturum; pro, *se* ad eum venturum.

Qvintilianus Declam. 1. Qvapropter non petit, ut *illum* miserum puteris, nisi & innocens fuerit; pro, ut *se* miserum puteris.

Idem

Idem Declam. 3. Neq; ignoravit, qvæ manerent *eum* pericula; pro, qvæ manerent *ſe*.

Sed ut obſervationem hanc monitione claudamus, verba *Celeberr. Barthii* hìc placet adjungere, qvæ *Animadv. in lib.* 1. *Rutilii pag.* 104. ita ſe habent: *Et hæc prolixius hactenus ob pædagogorum cavillas; non qvòd imitanda putemus, ſed ut ſine errore etiam in optimis ſcriptoribus legi videamus.*

§. II.

Pleonasmum deinde pati videtur oratio noſtra, Latinæ originis æmula, qvando Pronomina *is* & *qvi*, amplificandi vî prædita, adjiciuntur; *ut*, Jeg er ikke den/ der vil giøre dig Urœt; pro, Jeg vil ikke giøre dig Urœt; Qva loqvendi ratione ſæpe etiam delectantur Latini, dicentes: *Ego non ſum is, qvi tibi injuriam afferam*; pro, *Ego tibi injuriam non afferam.* Tuetur certè hoc Scriptores Latinæ lingvæ ſcientiſſimi, in primis *Cicero*, qvi ita *lib.* 1. *Qvæſt. Acad.*

Zeno nullo modô *is erat, qvi*, ut Theophraſtus, nervos virtutis incideret.

Idem lib. 5. *epiſt.* 21. *Ego is ſum*, qvemadmodum tu facillimè potes exi-

ſti-

ſtimare, *qvi* nihil unqvam meâ potius, qvàm meorum civium cauſâ fecerim.

Rurſus *lib.* 15. *epiſt.* 4. Tu es enim *is*, *qvi* me tuîs ſententiîs ſæpe ornâſti.

CLASSIS TERTIA
DE
FORMULIS,
Qvas
In VERBIS obſervavimus.

Sed nos pergamus, viámq;, jubente ſic conſvetô partium Orationis ordine, iis ſternamus locutionibus, qvas Latinorum VERBA lingvæ noſtræ videntur ſubminiſtrare. Seqvitur itaq; grandis jam VERBORUM ſtrues, è media Latinitatis ſylva convectata. Familiam horum ducet Verbum Subſtantivum *Eſſe*.

§. I.

Exiſtiment fortaſſe non pauci, pudorem non

non ex oculis, ſed ex lingva ejus periiſſe, qvi Latialem derivationem huic noſtræ loqvendi formæ tribuat: Som er at læſe / ſom er at ſee hos den Skribenter; *Ut apud iſtum Scriptorem legere eſt, videre eſt.* Locutio ſanè hodiernis Scriptoribus ſatìs freqvens; in qva Verbum Subſtantivum *ſum* in tertia perſona pro *licet* uſurpatum, Græcorum imitatione eleganter jungitur Infinitivo. Et qvis ſtructuram hanc declinabit, ſi viderit præeuntes ſcriptorum optimos, *Virgilium*, *Ovidium*, *Horatium*, immò qvod caput rei eſt, ipſum *Ciceronem lib.* 16. *ad Famil.*

Vix in ipſis tectis & oppidis frigus infirmâ valetudine vitatur, nedum in mari, & viâ *ſit* facilè *abeſſe* ab injuria temporis.

Virgilius lib. 6. *Æneid.* Nec non & Tityon terræ omniporentis alumnum *Cernere erat*. Id eſt, *licebat*.

Ovidius lib. 2. *Faſtor.* Verba placent, & vox, & qvod *corrumpere non eſt*.

Horatius Epod. Neq; *eſt levare* lenta ſpiritu præcordia.

Gellius: Multos *videre eſt* pecuniæ cupidos.

Idem:

Idem: Præterea *animadvertere eſt* in tota iſta Catonis oratione.

2. Inter ea, qvæ cum Latina lingva habemus communia, numerari qvoq; poteſt: At være i Giæld; *Eſſe in ære alieno*; pro; *Ex ære alieno laborare*; *Cæſ. lib.* 3. *bell. Civil.* Optimo enim latinitatis Statori, *Ciceroni*, non diſplicuit ita diſſerere *lib.* 6. *in Verr.*

Non modò *in ære alieno nullo*, ſed in ſuis nummis multos *eſſe*. Id eſt, *Nihil debebat*, *ipſi verò debebatur*.

Hinc; *Incidere in æs alienum*; id eſt, Ære alieno obrui; *Exire ære alieno*; Id eſt, Liberari debitis.

3. Ad Latialem itidem loqvendi modum qvàm proximè accedit: At være een paa Halſen; *In cervicibus eſſe*; pro, *imminere*. Atq; innocentia hujus evidenter ut oſtendatur, prodeat in primam aciem illuſtris *Livius*, qvi *lib.* 44. *cap.* 39. hunc in modum ſcribit:

Qvantò enim facilius fuit, abire, cùm procul abeſſemus, qvàm nunc, cùm *in cervicibus ſumus*.

Item *lib.* 22. *In cervicibus bellum erat*. Id eſt, *vicinum erat*.

Neq;

Neq; abstinuit à simili locutione *Cicero lib.* 12. *ad famil. Epist.* 23.

Qvas (*legiones*) sibi conciliare pecuniâ cogitabat, eásq; ad urbem adducere, & *in cervicibus nostris collocare.*

Item *pro Muræna*: Non enim deseruerunt; sed ab illo in speculis atq; insidiis relicti, *in capite atq; in cervicibus nostris restiterunt.*

Ad eandem significationem spectant qvoq; seqventia:

Curtius lib. 6. Ratus eam urbem, qvam in ripa amnis Macedones condiderant, *suis impositam esse cervicibus.*

Et *lib.* 7. Defecêre Bactriani, *in qvorum cervicibus stamus.*

Hinc, *à cervicibus avertere, depellere, repellere.*

4. Locum hìc etiam invenire potest: At være i Tieniste hos een; *In ministerio* vel *servitio alicujue esse.* Id qvod ex *Plinio* haud infeliciter stabilire conamur, qvi *lib.* 10. *epist.* 16.

Apulejus, *inqvit*, scripsit mihi, qvendam nomine Callidromum captum à Susago in Mæsia, & à Decebalo mu-

muneri missum Pacoro Parthiæ regi, pluribus annis *in ministerio ejus fuisse.*

Similiter *Ulpian. Esse in servitio.*

5. Nec abhorrent à superioribus seqventes loqvendi formulæ, Latinis qvoq; celebratæ Auctoribus: At være paa Reisen; At være paa Jagt; At være i Lifve; *Esse in itinere; esse in venationibus; esse in vita*; pro, *proficisci, venari, vivere.* Ecce incorruptos sententiæ nostræ testes:

Brutus ad Ciceron. lib. 11. Cùm Furnium nostrum tantùm vidissem, neq; loqvi, neq; audire me commodè potuisset properantem, atq; *essem in itinere.*

Cæsar lib. 4. *de bell. Gall. In venationibus esse.*

Cicero in Cat. M. Cùm ex eo qværeretur, cur tamdiu vellet *esse in vita*; Nihil habeo, inqvit, qvod incusem senectutem.

6. Hisce non omnino diversum est & illud: Det er it Aar / siden det skeede; *Annus est, cùm id factum est*; pro, *Annus præteriit ab eo tempore, qvô id factum est* Bonorum hoc scriptorum auctoritate nititur:

Cice-

Cicero pro Cluent. Anni ſunt octo, qvum iſta cauſa in iſta meditatione verſatur.

Idem 8. Philipp. Eſt annus, ut repulſam tulit.

Et *lib. 2. in Verr. Decem dies ſunt* ante ludos votivos, qvos Cn. Pompejus facturus eſt.

Plautus Trinum. act. 2. ſc. 4. Minus *qvindecim dies ſunt*, qvòd pro his ædibus minas qvadraginta accepiſti à Callicle.

7. Haud diſſimile evenit compoſito Verbo *Abeſſe*; Qvis enim non ſuſtineat dicere: Det var ikke langt fra; *Non longè aberat*; cùm iſtud licere docuerit *Tullius lib. 9. ad Attic.*

Aberit non longè, qvin hoc à me decerni velit.

Et paullò pòſt lib. 11. ad Eundem: Prorſus *nihil abeſt*, qvin ſim miſerrimus.

§. II.

Sed hactenus fuerunt locutiones, qvæ à Verbo *Eſſe* fluunt; ſeqvuntur jam, qvæ cum Latinorum *Dare* amicè conſpirant & conſentiunt. Harum è numero eſt: Give een at drikke; *Dare alicui bibere*; Qvod

nonnulli impropriè *propinare* dicunt; cùm *propinare* propriè *præbibere* ſit, vel *prægustare*. Facilè ſententiam noſtram proteget *Terentius Andr. act. 3. ſc. 2.*

Pòſt deinde qvod juſſi, *date ei bibere*. Ubi *Donatus*: Dare bibere, *conſvetudine magìs, qvàm ratione dixit, pro*, date ei potionem.

Nec diſſimilem voci, *bibere*, ſignificationem tribuit *Cato de re ruſt. cap.* 89.

Bis in die farciat, & meridie *bibere dato*. De gallinaceis & anſeribus farciendis loqvitur.

Et ne qvis locutionis hujus averſetur ſtructuram, ſciat certiſſimè Verbum Infinitum *bibere*, ſi non *formaliter*, tamen *virtualiter* hìc *Nomen* eſſe; ut, Dare alicui *bibere*; idem ſit, qvod Dare alicui *potionem*. Vocabimus in ſubſidium incorrupta Auctorum teſtimonia;

Cicero lib. 3. Offic. Non enim falſum jurare, *pejerare* eſt. Id eſt, *perjurium eſt*.

Ovidius: *Poſſe* loqvi eripitur. Id eſt, *poteſtas* loqvendi.

Terentius Heaut. *Mentiri* non eſt meum. Id eſt, *mendacium* non eſt meum.

Qvod

Qvod autem *Infinitivus* locô *Nominis* in hisce & similibus exemplis usurpetur, hinc est, qvòd *Priscianus lib.* 3. vocet *Infinitivum Nomen* Verbi, ac si *Finita* Verba propriè sint *Verba* appellanda; *Infinita* verò ipsorum *Nomina*, qvòd vicem Nominum non rarò obeant. Et aliqvando profectò *vera Nomina* sunt; ut, *Scire tuum; nostrum vivere &c.*

2. Ad natales suos intra Romanos limites indagandos nos porrò invitat freqvens istud loqvendi genus: At give sig til at giøre noget; *Dare se ad rem aliqvam faciendam.* Ut verò castimoniæ lingvæ Danicæ hìc consulamus, unum modò *Ciceronem* in sententiam nostram adjungere libet, qvi hæc inducit *lib.* 1. *de nat. Deor.*

> Ea verò ipsa nullâ ratione melius frui potui, qvàm si *me* non modò *ad legendos libros*, sed etiam *ad totam Philosophiam pertractandam dedissem.*

> Item *lib.* 1. *de Leg.* At mehercule ego arbitrabar posse in populo nostro probari, si *te ad jus respondendum dedisses.*

> *Idem ibid.* Neq; unqvam mihi visus es

ita *te ad dicendum dediſſe*, ut jus civile contemneres.

3. Nec parva cum lingvæ noſtræ idiomate affinitas intercedit his phraſibus: *Dare ſe in viam;* At give ſig paa Vejen; *Dare ſe in fugam;* At give ſig paa Flugten. Ex eodem nos *Cicerone* exempla hìc advocabimus; cujus *in Verrem* hæc ſunt:

Dant ſeſe in fugam iſtius præclari Imperatoris nocturni milites.

Idem ad Terent. In viam qvòd *te des* hôc tempore, nihil eſt.

§. III.

Verbum *Facere* qvædam itidem loqvendi genera Latinis ſuppeditat, in qvibus *Dani* cum illis conſentiunt. Horum primum erit: Hvad vil hand vel giøre mig? *Qvid faciet mihi?* Formula, cujus in contemnendis minis periculíſq;, qvæ ab aliis imminent, freqventiſſimus eſt uſus. Hanc ſanè locutionem adhibere non dubitavit *Terentius*, qvippe is ita *Eunuch. act. 5. ſc. 2.*

Ah, qvid faciam? qvid mea autem? *qvid faciet mihi?*

Idem act. 5. ſc. 6. Jamdiu aliqvam qværebat cauſam ſenex, qvamobrem *inſigne aliqvid faceret eis.*

Symbolam hìc qvoq; confert *Plautus Perſâ act.* 2. *ſc.* 3.

Virtus eſt, ubi occaſio admonet, diſpicere. *Qvid faciet mihi?*

2. Sed ecce tibi aliud qvoddam loqvendi genus, in qvo Latinos planè imitati ſumus, videlicet: At giøre een Spot; *Contumeliam alicui facere.* Exſtat certè apud *Plautum* manifeſtum locutionis hujus veſtigium *Aſin. act.* 2. *ſc.* 4.

Tu *contumeliam alteri facias*, tibi non dicatur?

Id verò ut minùs Latinum perſtringit *Cicero* injuſtè, ut eruditorum nonnulli putant, cùm *Philipp.* 3. *cap.* 8. *Qvid eſt porrò*, inqvit, *facere contumeliam? qvis ſic loqvitur?* Et mox ſubdit: *Nonne ſatius eſt mutum eſſe, qvàm qvod nemo intelligat, dicere?* Hinc *Qvintilian. lib.* 9. *cap.* 3. *Et contumeliam fecit*; qvod à Cicerone reprehendi, notum. *Affici* enim *contumeliâ*, dicebant. Hæc ille. Sed parce tibi, Tulli Clariſſime, nimiâ delinqvis liberalitate; Enimverò, ut non memorem *Plautum* noſtrum, antiqviſſimum illùm aurei ſeculi ſcriptorem, qvô tandem pactô diſſol-

ves nodum à *Terentio*, *Seneca aliisq;* nexum? *Terentius* certè *Eunuch. act. 5. sc. 2.*

Si ego, *inqvit*, contumeliâ hac digna sum maximè, at tu indignus, qvi *facias* tamen.

Idem Phorm. act. 5. sc. 8 Qvin novô modô *ei faceres contumeliam.*

Seneca epist. 72. Qvisqvis volet, *tibi contumeliam faciat* & injuriam.

Idem epist. 70. Hoc fuit *morti contumeliam facere.*

Q. Metellus apud Agell. Qva in re qvantò universi me unum antistatis, tantò *vobis* qvàm *mihi* majorem injuriam atq; *contumeliam facit.*

3. In jus tandem civitatémq; Romanam admittimus etiam: At giøre sig stor af nogit; *Magnum se ex re aliqva facere.* Prodeat in medium *Plautus*, nobilissimus ille ex antiqvitate scriptor, qvi *Milite glor. act. 4. sc. 2.*

Magnum, inqvit, *me faciam* nunc, qvoniam illæc me collaudat. Id est, *Magnum me præbeam.*

Idem Asin. act. 2. sc. 2.

Extemplò *faciam facetum me atq; magnificum virum.*

Et

Et *Pseud. act. 2. sc. 3.* At ego nunc *me gloriosum faciam.*

Iterum *Mostell. act. 4. sc. 2. Ferocem facis*, qvia te herus tam amat. Ubi *Lambinus* notat desiderari *te.*

4. Priscorum Latinorum usu confirmatur itidem locutio hæc nostra: Hvad giorde hand ikke / at hand kunde vide dette? *Qvid non faciebat, ut hæc sciret?* Id est, *Valde laborabat, vehementer nitebatur, ut hæc sciret*; *Virgilio* cultissimo aurei ævi scriptori usitata Eclog. 2.

Hæc eadem ut sciret, qvid non faciebat Amyntas?

Sed & alios dabo, locutionem hanc qvi vindicent, *Plautum* scilicet, *Terentium* & *Horatium*; *ut*,

Plautus in Trin. Facit hoc argentum.

Terentius Phorm. act. 2. sc. 3. Vide, *avaritia qvid faciat.* Id qvod per interrogationem dici potest: *Qvid non facit avaritia?*

Horatius lib. 1. epist. Qvid non ebrietas designat? Id est, *qvid non facit ebrietas?*

5. Romano ex fonte hoc qvoq; conamur extrahere: At giøre Penge af noget; *Pecu*-

 ni-

niam ex re aliqva facere; pro, *Redigere pecuniam ex aliqva re;* Cic. *Aurum ex aliqva re efficere.* Plaut. Constructio sanè, qvæ optimis optimi latini seculi non displicuit scriptoribus;

Cicero lib. 5. in Verrem: Et istâ ratione *innumerabilem pecuniam facere posset.*

Nepos Cimone: Qvi *magnas pecunias ex metallis faceret.*

6. Illud neq; indignum notatu est, qvod Danorum ita profert lingva: At giøre Een got; *Bona alicui facere.* Id qvod Latinorum sic exemplîs confirmabimus:

Plautus prolog. Amphit. Qvid ego commemorem, ut alios in alios in tragœdiis vidi, Neptunum, Virtutem, Victoriam, Martem, Bellonam commemorare, *qvæ bona vobis fecissent?*

Et paullò pòst: Sed mos illic nunqvam fuit patri meo, ut exprobraret, *qvod bonis faceret boni.*

Idem Casin. act. 2. sc. 7. Sibi multa bona facere.

Terentius Heaut. act. 4. sc. 3. Faciam boni tibi aliqvid pro ista re, ac lubens.

Ne-

Nepos Themistocle: Idem *multò plura bona feci* (ɔ: *domui tuæ*) postqvam in tuto ipse, & ille in periculo esse cœpit.

Contrariâ significatione locutionem hanc extulit *Seneca Epist.* 7.

Unum exemplum avaritiæ aut luxuriæ *multum mali facit*.

7. Inter locutiones deinde, à Latina petitas lingva, referimus & hanc: At giøre Mod; *Animum facere*. Qvæ loqvendi ratio freqventissima apud *Livium*, qvi *lib.* 1.

Divitiæ, *inqvit*, *animos faciunt*. Unde originem traxit proverbialis hæc Germanorum locutio: Guth macht Muth.

Item *lib.* 10. *Spiritus facere*.

8. Qvis locutionem hanc Danicam: At giøre sig Ven med een; ad Latinam qvàm proximè accedere non fateatur: *Amicum se alicui facere*; cùm idonei scriptoris in promptu habeamus locum? Is est *Horatius*, qvi *lib.* 2. Serm. sat. 5.

Tibi me virtus tua *fecit amicum*.

Simili ratione nihil prohibet dicere: *Aliqvem sibi inimicum facere*; qvandoqvidem Auctore se *Terentio* tuetur *Eunuch. act.* 4. *sc.* 7.

9. E Latina qvoq; lingva in noſtram videmur traduxiſſe: At giøre Giæld; *Æs alienum facere.* Id eſt, *Debitorem ſe facere, pecuniâ vel mutuò, vel fœneratò acceptâ.* De cujus locutionis uſu teſtimonium reperies apud *Livium*, qvi hæc habet:

Egeſtate coacti dicuntur *æs alienum feciſſe.*

Item *apud Ciceronem lib.* 13. *ad Attic.*

10. An verò eodem latinitatis jure liceat dicere: *Facere ſe ægrotum;* pro, *Fingere* vel *ſimulare ſe ægrotum;* qvod nobis eſt: At giøre ſig ſiug; in ambiguo ſanè res eſt, cùm de hoc in Auctoribus ne veſtigium qvidem, in qvo tutò vel digitum manûs, vel calami crenam figamus, invenire liceat. Ne tamen incerta diu volvamus conſilia, nihil noſtris nec oculis nec intellectui patere confitemur, qvod phraſeos hujus intercipere valet uſum, cùm laudatos ſatis fideq; dignos latinæ lingvæ habeamus teſtes, apud qvos unam eandémq; ſignificationem obtinent Verba *Facere* & *Fingere*; *ut*,

Terentius Adelph. Facio te apud illum Deum. Id eſt, *fingo* vel *ſimulo.*

Cicero lib. 15. *epiſt.* 18. Itaq; *facio* me alias res agere.

11. La-

11. Latinæ porrò lingvæ nec omnino
gnota sunt: At giøre Begyndelse / ende paa
noget; *Initium, finem alicui rei*, vel *alicu-*
us rei facere. Patronos locutioni huic
qværimus *Ciceronem, Terentium aliósq;*

Cicero ad Attic. Initium armorum facere.

Idem in Rullum: Finem feci offerendi mei.

Terentius Andr. act. 5. sc. 1. Satis periculi cœpi adire, *orandi jam finem face.*

Idem prolog. Heaut. Nisi *finem maledictis facit.*

Nepos Hamilcare: Statuerunt *belli finem facere.*

Cæsar lib. 1. bell. Gall. Reperiebat etiam Cæsar inqvirendo, qvòd *initium fugæ* prælii eqvestris adversi à Dumnotorige atq; ejus eqvitibus *factum esset.*

12. Familiares qvoq; Latinis sunt hæ no-
stræ loqvendi formulæ: At giøre een til Arf-
ving / giøre een til Borgemester; *Facere ali-*
qvem hæredem, consulem; pro, *constitu-*
ere, creare. Optimorum qvippe scripto-
rum fide sese tuentur;

Cice-

Cicero pro Cæcinna: Viros bonos & honestos complureis *fecit hæredes.*

Idem de Senect. Annô enim undevigesimô post ejus mortem *hi Consules* T. Flaminius & M. Attilius *facti sunt.*

Nepos in Attico: Testamentô adoptavit eum, *hæredémq; fecit* ex Dodramte.

Idem in Hamilcare: Extremò, cùm prope jam ad desperationem venissent, *Hamilcarem Imperatorem fecerunt.*

Plinius lib. 4. *Epistol.* 11. Qvos tibi fortunâ ludos facis? *Facis* enim *ex Professoribus Senatores, ex Senatoribus Professores.*

13. Usu suo in latinitate nec caret: At giøre sig glad/ lystig; *Hilarem se facere;* pro, *Præbere se hilarem.* Incorruptissimus incortuptæ hujus lucutionis testis est *Terentius*, qvi *Adelph. Act.* 4. *sc.* 7.

Hilarem, inqvit, *ac lubentem fac te* in nati nuptiis.

Idem ibid. Act. 5. *sc.* 3. Hodie modò *hilarum fac te.*

14. Addere jam libet locutionem: At giø-

giøre Ild; Latinis haud indignam auribus: *Ignem facere.* Nos qvippe non fugit probatos ſcriptores ita fuiſſe locutos;

Cicero lib. 3. in Verr. Ignem facere ex lignis viridibus.

Nepos in Eumene: Ut qvâm latisſimè poſſent, *ignes faciant qvâm maximos.*

Cæſar lib. 3. bell. Civil. Ignem facere.

15. A communi Latinitatis indole nec multùm abit hæc noſtra dicendi conſvetudo: At jeg icke ſkal giøre langt der af; *Ne longùm faciam*; Id eſt, *ut breviter dicam.* Id qvod facile erit oſtendere freqventatum eſſe ſcriptoribus clarisſimis;

Cicero in libr. de legib. Non faciam longius.

Horatius lib 1. Serm. Sat. 3. Ne longum faciam; dum tu qvadrante lavatum Rex ibis &c.

16 Latinam deinde lingvam ducem ſeqvimur in hoc loqvendi genere: At giøre Bekoſtning paa noget; *Impenſam* vel *ſumptum in rem aliqvam facere.* De qvo locutionis modo luculenta probatorum Auctorum monumenta habemus;

Plau-

Plautus *Asin. act.* 1. *sc.* 2. Necesse est *facere sumptum*, qvi qværit lucrum.

Cicero ad Attic. Nullius teruncii *factus est sumptus.*

Livius lib. 4. *Impensas in stipendia militum facere.*

Horatius libr. 1. *Serm. Sat.* 2. Pro qvæstu *sumptum facit.*

17. A Latinis hoc qvoq; habemus: At giøre Kiøbmandskab; *Mercaturam facere.* Ausus enim fuit *Cicero* ita loqvi, apud qvem ista legas *lib.* 7. *in Verr.*

Nam ut iis, qvi honestè rem qværunt *mercaturis faciendis.*

18, Hunc etiam loqvendi modum Romana nonnunqvam licentia sibi indulsit: At giøre Bryllup; *Nuptias facere*; pro, *Nuptias celebrare.* Habemus ex proba antiqvitate, qvem seqvamur, *Terentium* scilicet, qvi *And. act.* 3. *sc.* 2.

Tu tamen *has nuptias* perge *facere* ita, ut facis.

19. Piaculare propemodum esset nostrum de structura hac nostra silentium, qvæ priscis qvoq; Latinis in usu fuit: At giøre stort af Een; *Magni aliqvem facere.* Cujus locu-

locutionis teſtimonium vide in eodem *Terentio And. act. 3. ſc. 3.*

Meritò *te* ſemper *maximi feci*, Chreme. In plerisq; tamen *Mſſ.* legitur *maximum*; ſed qvi in *maximi* mutârunt, hos antiqvitatis imperitiam prodere *Georgius* & *Franciſcus Fabricii* Autores ſunt.

20. E Latina deniq; lingva videtur natum: At giøre Een Forhaabning; *Spem aliqvem facere.* Qvô ſanè modô loqvi placuit illi, qvi qvàm optimè loqvutus fuit.

Tuæ qvidem literæ qvò ſæpius à me leguntur, hoc *ſpem mihi faciunt minorem. Cicer. lib. 3. ad Attic. epiſt.* 16.

Et alibi: Literæ tuæ *ſpem mihi magnam faciunt.*

§. IV.

In Verbo illo vernaculo, at Havel priſcam qvoq; latinitatem amâſſe *Danos*, vel hoc, qvod illis freqventisſimum eſt, loqvendi genus ſatìs teſtatur: Hvad har du at ſige? Hvad har du at ſkrive? *Qvid habes dicere? qvid habes ſcribere?* Ubi Verbum *habere* cum Infinitivo, Græcâ imitatione, conſtructum legitur, reiq; neces-

cesſitatem importat. Exempla pasſim ſunt obvia; nonnulla tamen congeram;

Cicero pro Corn. Balbo: Qvid *habes* igitur *dicere* de Gaditano fœdere ejusmodi?

Idem lib. 3. de nat. Deor. Hæc ferè *dicere habui* de natura Deorum.

Et *lib. 2. epiſt. 22. ad Attic.* De republica *nihil habeo ad te ſcribere.*

Item *de Orat: Audire habeo*, qvid hic ſentiat. Ubi *Valla lib. 5. Habeo audire*, inqvit, id eſt, *audiendum eſt mihi.*

Svetonius in Auguſt. Cap. 58. Qvid aliud habeo Deos immortales *precari*, qvâm ut hunc conſenſum veſtrum ad ultimum vitæ finem mihi perferre liceat?

Horatius: An melius qvis *habet ſvadere?*

Livius lib. 2. Illud *infirmare* pro certo *habeo*, audeóq;

In qva certè loqvendi ratione Verbum *habere* non incommodè etiam per Verbum *poſſe* poteſt interpretari; *ut*, *Qvid habes* igitur de cauſa *dicere? Cicero in Partit.* pro, *Qvid dices*, ſive *dicere potes?* An

meli-

melius qvis *habet ſvadere*? *Horat.* pro; An melius qvis *poteſt ſvadere*?

2. Huic ſubjungimus, qvod ex Latinorum itidem lingva habemus: At have nogit under Hænder; *In manibus*, *inter manus aliqvid habere*, pro, *Tractare*, *componere aliqvid*. Id qvod Latinorum ſatis probatur teſtimoniis; *ut*,

Cicero lib. 4. *ad Attic.* Eſt enim mihi utendum qvibusdam rebus ex iis libris ad eos, *qvos in manibus habeo*.

Plinius libr. 5. *epiſt.* 5. Occurſant animo mea mortalitas, mea ſcripta; Nec dubito te qvoq; eâdem cogitatione terreri, pro iſtis, *qvæ inter manus habes*.

Habere librum aliqvem in manibus, Ciceroni etiam eſt, *legere*, *attrectare ſemper librum aliqvem*; *ut*,

Lib. 3. *ad Qv. Fratrem*: Qvòd multos dies *epiſtolam in manibus habui*, propter commorationem tabellariorum.

Et *lib.* 7. *ad Attic. epiſt.* 8. *Habebamus in manibus Antonii concionem.*

3. Aliæ multæ Verbi, At have/ ſignificationes ſunt, in qvibus latinitatem invenire

licet; *Exempli gratiâ* : Dette har jeg forſøgt; Dette har jeg ſagt; Dette har jeg udrættet; *Hoc exploratum habeo; hoc dictum habeo; hoc effectum habeo;* pro, *Hoc exploravi, dixi, effeci.* Ex Latinorum teſtimoniis hoc evadit perſpicuum;

Cicero lib. 3. *Offic.* Hac vi non utatur, ne, ſi *exploratum* qvidem *habeat*, id omnino neminem unqvam ſuſpicaturum. Ubi *exploratum habeo*, idem ſignificat, qvod *exploravi*, vel *exploratum eſt mihi.*

Idem lib. 1. *de nat. Deor.* Se ſemper fore, *exploratum habet* Deus.

Et *lib.* 10. *epiſt. famil.* Qvantum in acie tironi ſit committendum, nimium ſæpe *expertum habemus.* Pro, *experti ſumus;* explicante ibidem *Manutiô. p.* 1117.

Nepos Atticô : *Antiqvitatem* adeo diligenter *habuit cognitam*, ut eam totam in eo volumine expoſuerit, qvô Magiſtratus ornavit.

Plautus Perſâ act. 2. *ſc.* 2. *Satis jam dictum habeo.* Qvod nihil ſanè eſt aliud, qvàm ſi dixiſſet: *ſatis jam dixi.*

Rur-

Rurſus *Cicero* 5. *Philipp.* De Cæſare ſatìs hoc tempore *dictum habeo.*

Symmachus lib. 1. *epiſt.* 19. Sed de hoc ſatìs *habeo dictum.*

Cæſar lib. 7. *bell. Gall.* Nam qvæ ab reliqvis Gallis civitates diſſentirent, has ſuâ diligentiâ adjuncturum, cujus conſenſui ne orbis qvidem terrarum poſſit obſiſtere; ídq; ſe propè jam *effectum habere.* Hìc, *ſe prope jam effectum habere*, nihil ferè aliud eſt, qvàm *ſe prope jam effeciſſe.*

At, cùm dicit *Plinius lib.* 23. Eadem cum oleo ſæpius pilis illitis, pſilothri *effectum habet; Nomen* eſt eo locô *effectum*, ſignificans *vim* & *facultatem.*

Conſimili ratione Verba alia, cum Participiis Præteriti temporis in Accuſativo conſtructa, periphraſin faciunt Verbi ejus, cujus Participium ſic uſurpatur; *ut*,

Terentius Eunuch. act. 2. *ſc.* 1. *Dabo* tibi hoc *effectum.* Id eſt, *efficiam.*

Salluſtius apud Cæſar. Qvin acerbius indies malefaciundo ac dicundo, dignitate alios, alios civitate *everſum irent.* Id eſt, *everterent.*

Plautus Epid. act. 1. sc. 1. Id ei *impetratum reddidi.* Id est, *impetravi.*

Cicero lib. 3. in Verr. Me vehementer *excusatum volo.*

Singulare est illud *Plauti Amphit. Volo oratum* à vobis rem justam.

4. Inter locutiones illas, qvas à Latinis accepimus, nec omittenda hæc est: Saaledis har det sig; *Ita se habet*; pro, *Ita res est*, vel *in eo statu res est.* Scriptorum sanè optimi seculi auctoritate nititur;

Terentius Heaut. act. 4. sc. 3. Apertè *ita ut sese habet*, narrato.

Cicero de Senect. Qvod qvidem nî *ita se haberet*, ut animi immortales essent &c.

Nepos Dione: Qvæsivit à Medicis Dion, *qvemadmodum se haberet?*

5. Eorundem sermoni acceptum ferre debemus, qvod dicimus: At have noget for Øyen; *Ante oculos aliqvid habere*; pro, *Semper de re aliqva cogitare.* De cujus locutionis usu Auctorum jam reperies testimonia;

Seneca epist. 12. Molestum est *mortem ante oculos habere.*

Livius libr. 5. Ante oculos habeo urbem. Ean-

Eandem omnino ſignificationem habet & illud apud *Qvintilianum* celebratisſimum: *In oculis habere aliqvid*; *libr*. 16. *cap*. 5. pro, *Semper ad aliqvid intentum eſſe*; ut interpretatur *Budæus*.

6. Nec ſiccô hic pede prætereundum nobis erit, qvod *Plinius* habet *lib*. 18. *cap*. 11. *In ſervitiis aliqvem habere*; pro *Inter ſervitia* ſev *ſervos habere*; noſtro ſanè loqvendi modo non admodùm disſimile: At have Een i Tieniſte. Si vacat videatur & hac de re *pagina* 47. §. 1. *num*. 4.

7. Ex eodem latinitatis fonte nos itidem hauſimus: At have Tiid til noget; *Tempus ad aliqvam rem*, vel, *alicui rei habere*. Ubi *Tempus* ſignificat καιρὸν, ſive *occaſionem* & *opportunitatem* gerendæ rei. Addimus hìc teſtimonium *Ciceronis*, qvi locutione hac utitur *lib*. 1. *ad Attic*. *epiſt*. 9.

Sed tamen diſtinebar, ut vix *huic tantulæ epiſtolæ tempus habuerim*.

Accedit & *Plautus Trucul*. *Act*. 1. *ſc*. 6. Dum *habes tempus*. Id eſt; *dum vacat*, *dum licet per opportunitatem*.

8. Deinde ut apud nos, ſic & apud Latinos locum habet hæc loqvendi formula:

At have Villie til nogit; *Voluntatem habere ad aliqvid*, vel *alicujus rei*. Nec ejusdem *Ciceronis* hìc deeſt teſtimonium, qvod deſcriptum exſtat *lib. 2. de Orat.*

Nocendi voluntatem habere.

Idem pro Font. Voluntatem habere ad aliqvem opprimendum.

9. Latinos etiam ſine vitio freqventer imitamur in communisſima hac dicendi ratione: At have noget i ſinde; *In animo aliqvid habere.* Latinum enim hoc eſſe non difficulter evincitur, cùm *Cicero* ita *pro Roſc. Amer.*

Nam iſtum exhæredare *in animo habebat.*

Item lib. 1. epiſt. 12. ad Attic. Habebat in animo navem conſcendere.

Catoni qvoq; excidit *de re ruſt.* Prædium qvum comparare cogitabis, ſic *in animo habeto,* uti ne cupidè emas.

10. Sed de locutione hac noſtra: At have en Feber; qvid dicendum eſt? An pro ea uti Latinâ, *febrim habere*, pro, *febri laborare*, non licebit? Affirmativam certè ſententiam teſtimoniîs ſatìs evidentibûs confirmabimus;

Cicero lib. 7. epiſt. 26. Cùm decimum

jam

jam diem graviter ex inteſtino laborarem, neq; iis, qvi meâ operâ uti volebant, probarem me non valere, qvia *febrem non haberem*, fugi in Tuſculanum.

Martialis lib. 5. epig. 9. Non habui febrim, Symmache, nunc *habeo.*

11. Huic confine eſt: At have en Rejſe nogenſteds hen; *Iter aliqvò habere*; pro, *Iter facere*. Primus, qvod ſciam, *Terentius* Latio donavit, qvi ita *Eun. act. 5. ſc. 8. Iter hàc habui.*

Cicero lib. 2. ad Qv. frat. Videre autem volui, qvòd eram poſtridiè Roma exiturus, & qvòd ille *in Sardiniam iter habebat.*

Idem lib. 8. ad Attic. Aliiq; complures Cæſarem *iter habere Capuam.*

Aliàs *habere iter* amaverunt Scriptores Latini pro, *habere viam*; Ita *Cæſar lib. 3. bell. Civil. Iter habeo expeditum*; Id eſt, *Iter, per qvod eundum mihi eſt, expeditum habeo, & ſine ullis impedimentis.*

12. Finitimum qvoq; huic illud eſt, qvod apud Noſtrates celebratur, loqvendi genus: Hand har Ont at dragis med; *Magnum malum habet.* Ita enim *Plautus in Amphitruone:*

 Ve-

Verùm tum *magnum malum habebis*, ſi hic ſuum officium facit.

13. Latino ſermoni nec ignotum eſſe videmus: At have ſin gang til een; *Aditum, acceſſum ad aliqvem habere*; per tranſlationem, pro, *facilè cum aliqvo congredi & colloqvi.* Aſſentitur *Cicero ad Curtium lib. 13. epiſt.* 60.

Sed ut qvàm *facillimos ad te aditus haberet.*

Item *lib.* 4. *epiſt.* 8. *ad Attic.* Fabium, *ſi qvem aditum habes*, adorere, & iſtum convivam tuum deguſtes.

Collumella haud aliter *lib.* 7. *cap.* 12. *Acceſſum ad aliqvem habere.*

14. Ponendum etiam hoc in numero eſt; At have een kiær; *Aliqvem charum habere.* Id qvod ex ſeqventibus facilè conſtare poteſt exemplis;

Cicero lib. 9. *ad Attic.* Te tanti facio, ut *paucos æqvè ac te charos habeam.*

Idem poſt redit. in Senat. Parentes chariſſimos habere debemus.

Terentius Andr. act. 1. *ſc.* 5. *Qvam ego animo egregiè charam pro uxore habuerim.*

Nepos Atticô: Atticus in ſummo ti-

mo-

more non solùm sibi, sed etiam ei, *qvem charissimum habebat*, præsidio fuit.

Et *in Alcibiade*: Princeps poneretur, *haberetúrq; charissimus*.

15. Latinitate deniq; nec excludendum est: Hand har sin Deel; Id enim Latinô sic effertur sermone: *Habet*, vel, *hoc habet*, subaudi *vulnus*, fatente *Cerdâ*. Vox propria in gladiatores vulneratos, vel insultantis adversarii; ut apud *Terentium Andr. act*. 1. *sc*. 1.

Certè captus est, *habet*. Ubi *Donatus*: Habet, inqvit, *id est, vulneratus est. Habet enim, qvi percussus est; & propriè de gladiatoribus dicitur; qvia prius alii vident, qvàm ipsi sentiant, se percussos.*

Item *apud Virgilium lib*. 12. *Æneid*.

Hoc habet: hæc melior magnis data victima divis. Ubi *Servius*: Hoc habet, inqvit, *id est, lethali percussus est vulnere. Apud antiqvos enim id erat*, hoc habet, *qvod nunc*, peractum est.

§. V.

Observandum deinde est, in qvibusdam

 nos

nos loqvendi modis, ex Latino Verbo *Tenere* desumptis, Latinos haud rarò esse imitatos; qvo in numero est: At holde sin gamle Vane; *Consvetudinem suam, morem suum tenere*; pro, *retinere, servare*. Rem plenè eloqvitur *Cicerò* 1. *Philipp.*

Si *consvetudinem meam*, qvam in republica semper habui, *tenuero*. Id est, interprete Auctore Fori Romani, *si liberè, qvæ sentiam de republicâ, dixero.*

Idem lib. 5. Tuscul. qvæst. Morem tenere.

Ut *Ciceronem* mittamus, adducemus & alios Scriptores:

Virgilius lib. 3. Æneid. Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto.

Justinus lib. 1. Qvem morem vestis exinde gens universa *tenet*.

2. Si *Tullium* audimus, non video, cur dubitemus de hac nostra loqvendi ratione: At holde noget; *Tenere aliqvid*, sc. qvod promissum est. Verba ejus *in lib. 3. de Officiis* hæc sunt:

Qvod autem affirmatè qvasi Deô teste promiseris, *id tenendum est.*

3. Neq; multùm hìc abludit & illud: At hol-

holde Troe og Love; *Fidem tenere*; pro, *servare*. In qvam rem *idem Tullius* 12. *Philipp.*

Non tenuit, inqvit, omnino colloqvium illud *fidem*. Ubi vocibus *promisſionis*, *pollicitationis* ſubſtituit vocem *fidei*.

4. A Latinis ad Danos tranſiiſſe qvoq; videtur hæc dicendi conſvetudo: At holde Loven; *Legem tenere*. Eſt certè magni illius *Plauti Mercat. act.* 5 *ſc.* 4.

Imò dicamus ſenibus leges cenſeo, priusqvam abeamus, *qvas leges teneant*, contentíq; ſint.

Cæterùm hanc probæ notæ non eſſe locutionem, convincere laborat Vir Doctisſimus, *Janus Gvilielmus*, ſcripſitq; *vulgarius ſibi videri* leges tenere, & *vix dignum Plauto*; legendum igitur eſſe, *qvâ ſe lege teneant*. Neſcio verò, qvid prohibeat dicere, *legem tenere*? eâdem enim ratione nec *Cicerone* dignæ viderentur phraſes: *tenere modum, tenere propoſitum &c.* Redeat mecum Lector ad eundem *Plautum*, in qvo manifeſtè qvoq; legitur: *tenere ſe legibus*; At holde ſig efter Loven. Ecce ipſius verba *Aſinariæ act.* 3. *ſc.* 3.

Nunc

Nunc etiam negotiosus est interdius;
videlicet Solon est, leges ut conscribat, *qvibûs se populus teneat.*

Meretur & audiri *Virgiliús lib. 7. Æneid.*

Saturni gentem, *veterisq; Dei se more tenentem.*

5. Neq; locutionem hanc nostram: Ut holde Munden; Latinus planè ignorat sermo, ut ex *Virgilio* mox patebit, qvi *lib. 1. Æneid.*

Conticuêre omnes, intentiq; *ora tenebant.* Ubi *Servius: Ora tenebant*, id est, *immobilia habebant.*

Et *lib. 7. Æneid.* Obtutu defixa *tenet ora.*

Idem certè judicium erit de verbis *Ennii, in libro* 1. *Ciceron. de Divinat*: ad qvæ & Auctor Lexici, qvod *Forum Romanum* inscriptum est, provocat. Verba qvidem ita habent:

Sic exspectabat populus, atq; *ora tenebat.*

Pro voce *ora* haud rarò vocem *lingvam* usurpant Auctores Latini; *ut*,

Ovidius lib. 2. *Trist.* Non fuit opprobrium celebrâsse Lycorida Gallo: Sed *lingvam* nimiô *non tenuisse* merô.

Idem

Idem lib. 2. *Faſtor.* Sæpe illi dixerat Almo, Nata, *tene lingvam*; nec tamen illa *tenet.*

Et *Catullus in Camer. epig.* 51. *Tenere lingvam* in ore clauſo.

6. Inſtitutum deniq; noſtrum erit vindicare locutionem: At holde Maade; *Modum tenere*, vel *retinere.* Qvam ex Latinorum fonte à nobis petitam eſſe in primis teſtatur *Cicero lib.* 1. *Offic:*

Ludendi eſt etiam qvidam modus retinendus, ut ne nimis omnia profundamus.

Idem ibid. Sin ſit qviſpiam, qvi aliqvid tribuat voluptati, diligenter ei *tenendum eſſe modum ejus fruendæ.*

Item *in Paradox.* Siqvidem rerum modum fingere non poſſumus, *animorum modum tenere* poſſumus.

Curtius lib. 6. Verba innocenti reperire facile eſt; *modum verborum miſero tenere* difficile.

7. Ex priſca Latinorum appellatione retinemus & iſtud loqvendi genus: At holde ſig paa et ſtæd/ i Huſet/ i Lejeren/ ꝛc. *Tenere ſe loco aliqvo, domo, caſtris &c.* Et qvis non audebit ſibi hanc libertatem loqven-

qvendi permittere, cùm *Ciceroni* placuerit?

Post redit. in Senat. Se domo tenere.

Lib. 7. ad Attic. Se domesticis finibus tenere.

Lib. 3. de finib. Se *suis finibus tenere.*

Lib. 9. ad Attic. Se oppido tenere.

Cæsar qvoq; locutionem hanc attigit *lib. 3. bell. Gall.*

Castris se tenere.

Livius lib. 8. Magistro eqvitum denuntiavit, ut *sese loco teneret.*

Nepos Dione: Cùm à conventu remotum *se Dion domi teneret.*

Valerius Maximus lib. 2. Cap. 10. Ad Africanum *in Liternina villa se tenentem* complures prædonum duces videndum eodem tempore fortè confluxerant.

8. Locutionem deinde: Hand kunde icke holde sig; ɔ: Hand kunde icke bare sig; cum Latina communem habet lingva nostra: *Tenere se non potuit.* Exemplîs res erit illustrior;

Cicero pro Flacco: Tenuit se, neq; attulit in judicium qvicqvam ad lædendum.

Idem

Idem lib. 2. *de finib.* Hoc loco *tenere se Triarius non potuit.*

Item *lib.* 3. *epist.* 1. *ad Qvint.* Ego tamen *teneo* ab accuſando *vix me* hercule.

Et *ad Atticum: Teneri non potui,* qvin tibi apertius illud idem iis literis declararem.

Plautus Caſin, act. 2. *ſc.* 3. *Vix teneor,* qvin, qvæ decent te, dicam.

Pro *tenere ſe* poſſumus & Latinè loqventes, dicere *continere ſe*; Cujus rei exemplum ex *Terentio* afferram, qvi *Eunuch. act.* 5. *ſc.* 2.

Vix, inqvit, *me contineo,* qvin involem in capillum.

9. E Latino etiam ſermone profecta videtur locutio hæc noſtra: At holde Vagt/ *Excubias tenere*; pro, *Vigilias agere*; Cic. *Excubias agere*; Ovid. Id qvod *Valerium Maximum* agnoſcit Auctorem, *lib.* 1. *cap.* 1.

Cùm ludos Circenſes ædilis faceret, in Jovis Optimi Maximi templo eximiâ facie puerum hiſtrionem ad *excubias tenendas* poſuiſſet.

10. Monendum qvoq; nonnihil erit de hoc

hoc dicendi genere: At holde sig til een; *Tenere se ad aliqvem.* Difficile fortassis nobis erit, ex antiqvo aliqvo scriptore Latino locutionem hanc exsculpere; *Augustinus* tamen, cujus auctoritatem haud temere qvis defugiat, non dubitavit dicere: *tenere se ad DEum, tenere se ad Euangelium.* Verba ejus, *Sermone XXIV. de verbis Apostoli*, sunt:

> *Ad DEum me teneam*, qvem non latet, qvod facio, sed etiam qvô corde facio; illum sperem retributorem, qvi facti mei non qværet testem.

Item *in libro contra epist. Manichæi cap. 5.*

> Si *ad Evangelium te tenes*, ego *ad eos me teneam*, qvibus præcipientibus Evangelio credidi.

11. Eadem deniq; loqvendi ratio in seqventi hac lingvæ nostræ structura locum habet: At holde sig i sit Skind; *Continere se in suapellicula*; pro, *Intra suam se sortem continere.* Hanc intra Italiæ pomœria natam, ingenuâ fide testatur *Martialis*; Is enim *lib. 3.* ita:

> Sed te mihi crede, memento, Nunc *in pellicula* cerdo *tenere tua.*

Ho-

Horatianum qvoq; hìc adjungemus teſtimonium *Serm. lib.* 1. *ſat.* 6.

Vel meritò, qvoniam *in propria non pelle qvièſſem.*

Ex proverbio ſumptum videtur; nam *non qvieſcere in pellibus ſuis* dicimus eos, qvi ſuô minimè contenti ſtatu ac conditione, majora ſeipſis viribúsq; ſuis appetunt & aggrediuntur. Niſi qvis Metaphoram ab *Aſino Cumano* tractam putet, qvi cæteris animalibus incuſſurus terrorem, leonis exuviô leonem mentiebatur.

§. VI.

In hac autem mentione Vocum, qvas cum Latina communes lingva noſtra habet, omittendum non eſt Verbum *Ponere*, & ex eo orta *Anteponere*. *Proponere*. Ut itaq; à nobis dicitur: At ſætte Penge paa Rente; ſic minimè inſolens in Latino ſermone eſt: *Nummos in fœnore ponere. Horatio* ſatìs freqvens locutio;

Dives agris, dives *poſitis in fœnore nummis*. Verſus ſanè bis à Poëta repetitus; *lib.* 1. *Serm. ſat.* 2. Item *de Arte Poët. v.* 421.

Idem Epod. 2. *Pecuniam ponere.*

Huic adjungendus & *Qvintilianus Decla-mat.* 9.

Nusqvam melius *ponitur pecunia*, qvàm ubi fœnus bonitatis extenditur.

2. Incerti nec ſumus, qvô ſe Auctore tueatur locutio: At ſætte Trœer; *Arbores ponere*; pro, *Serere, conſerere*. Abſolvet qvippe ream ſuſpicione *Columella*, cujus verba *lib. de Horto* hæc ſunt:

Atq; oleris pulli radix, lacrimoſáq; cepe *Ponitur*.

Item *lib. 4. cap.* 1. *Vitem ponere.*

Et *lib.* 11. *cap.* 1. Syriacæ radicis & rapæ, napíq; ſemina obrues; nam allii & ulpici eſt hujus temporis *poſitio.*

2. Latiùs nos Verbi hujus uſum extendimus, ad partes vocantes *Propertium*; cui *lib.* 2. *eleg.* 17. placet: *Vitam ponere*; pro, *Mori*; Cum qvo tam bella noſtro ſermoni convenientia eſt: At ſætte Livet til; Nam *vitam ponere*, eſt *è vita diſcedere*; Cic. *finire vitam*. Tacit. *vitam relinqvere*. Virg.

4. Qvò minus nobis diſpliceat locutio: At ſætte een til Konge/ til Dommere &c. *Ponere aliqvem Regem, Judicem* &c. pro *Creare, conſtituere*; intercedunt optimi La-

Latinæ lingvæ arbitri, qvi Latinâ eam non prohibent civitate; *ut*,

Cicero in 4. *Acad.* *Principem aliqvem ponere.*

Cæsar lib. 3. *de bell. Civil* Ad eas munitiones Cæſar Lentulum Marcellinum *Qvæſtorem* cum legione X *poſitum* habebat.

Nepos Alcibiade: Qvibus rebus effeciſſe, ut apud qvoscunq; eſſet, *poneretur princeps.*

Curtius lib. 6. Cebalinus nobili juveni, Metron erat ei nomen, *ſuper armamentarium poſito*, qvod ſcelus pararetur, indicat.

Nil attinet forſan addere *Valerium Maximum*, cujus verba *lib.* 1. ſunt:

Cùm ludos Circenſes ædilis faceret, in Jovis opt. max. templo eximiâ facie puerum hiſtrionem ad excubias tenendas *poſuiſſet.*

5. Ad eandem claſſem pertinet etiam: At lægge Vind paa noget; *Operam* vel *ſtudium in re aliqva ponere.* Qvod loqvendi genus vel ſolus tuebitur *Cicero*; qvi ita diſertè:

Primum enim ſtante republicâ facere

solebamus, ut *in agendo, plus qvàm in scribendo operæ poneremus.*

Et *lib.* 1. *de Finib. Ponere operam & studium in Philosophia.*

Item *de Orat. Studium suum omne in aliqvibus artibus cognoscendis atq; tractandis ponere.*

6. Verbum nostrum, At sætte / in hoc qvoq; Latinum *ponere* imitatur: At sætte sit Haab til nogen; *Spem ponere in aliqvo.* Locutio certè *Ciceroni*, *Nepoti*, *Virgilio*, illis optimi Latini seculi luminibus uno ore freqventata;

Cicero lib. 6. ad Atticum: In Pompejo te spem omnem otii ponere non miror.

Idem lib. 10. *epist.* 26. Qvod de Planci & Bruti concordia scribis, *in eo vel maximam spem pono victoriæ.*

Nepos in Eumene: Cujus *in pernicie spem* habuissent *positam* victoriæ.

Virgilius lib. 2. *Æneid. Spem ponere in armis.*

7. Nemo fortassis sibi facilè persvaserit compositum Verbum *Anteponere* olim usurpatum pro eo, qvod nobis est, At sætte for een; *ut*, At sætte Mad for een. Non deest tamen inter floridæ ætatis Scriptores,

qvi

qvi ita dicere ſuſtinet, & opinionem hanc noſtram tueri; Is eſt *Plautus*, qvi *Menæchm. act.* 2. *ſc.* 2.

Bonum, inqvit, *prandium anteponam pranſoribus.*

Idem Curcul. act. 1. *ſc.* 1. *Qvid antepones Veneri jentaculo?*

Nec *Propertium* à ſimili locutione alienum videmus, qvi *lib.* 4. *eleg.* 2. tmeſi uſus ſcripſit:

Libatum agricolæ *ponitur ante Deo.*

8. A Latinis deniq; mutuatum in ſermonem noſtrum induximus: Jeg har ſat mig for at giøre dette; *Propoſui mihi hoc facere;* cùm ſcilicet notare volumus animum nobis eſſe aliqvid facere. Illuſtrem certè locutio hæc agnoſcit patronum, *Tullium* ſcilicet, qvi *in Orat. pro leg. Manilia:*

Qvod, inqvit, *mihi ego extremum propoſueram*, cùm eſſem de belli genere dicturus.

Idem 1. *de Invent.* Qvi leges ſcribunt, *utilitatem reipublicæ ſibi proponere* debent.

Item *lib.* 1. *Offic. Magna ſibi proponere.*

§. VII.

Sciat præterea Lector, Danicæ lingvæ peritus, qvemadmodum dicit: Binden rejser sig; ita *Virgilium* dixisse: *Venti surgunt*; Id est, *paulatim se erigunt*, & *flare incipiunt*. Audi ipsa Poëtæ verba *lib*. 3. *Æneid*.

Et fando *surgentes* demoror *Austros*?

Idem ibid. Proseqvitur *surgens* à puppi *ventus* euntes.

Sicut è contrario, qvando flare desinunt, dicuntur At lægge sig; *ponere* ac *residere*. Id qvod eidem probatur *Virgilio lib*. 7. *Æneid*.

Qvum *venti posuêre*, omnisq; repentè resedit Flatus. Hoc est, *qvievêre*. *Servius*.

Idem lib. 10. Tum *Zephyri posuêre*, premit placida æqvora Pontus.

Item *Agellius lib*. 2. *cap*. 30. Simul ac *ventus posuit*.

Et *Statius lib*. 2. *Sylv*. Tum *rapidi ponunt flatus*, maria ipsa vetantur Obstrepere.

Obducet hìc fortassis Lector, in Latinis Accusativum pronominis, *se*, non esse adjectum. Verùm esto; videtur tamen idem sub-

ſubaudiendus eſſe. Et ſanè in Latino ſermone haud rarò deficit Accuſativus *ſe*; *ut*,

Salluſtius Jugurth. Interim Hiempſal reperitur *occultans* tugurio mulieris ancillæ, qvò initiò pavidus, & ignarus loci profugerat. Pro, *ſe occultans.*

Curtius lib. 8. Octingenta talenta conſtituit *daturum* Alexander. Pro, *ſe daturum.*

Plautus Capt. act. 2. *ſc.* 3. Hic autem te *ait mittere* hinc velle ad patrem. Pro, *ait ſe mittere.*

Livius: Mores populi Romani qvantum *mutaverint*. Pro, *mutaverint ſe.*

2. In alia qvoq; Verbi, *Surgere*, metaphorica ſignificatione Latinos imitamur, cùm dicimus: Her af reyſte ſig en ſtor Strid; *Ingens hinc ſurrexit pugna.* Eosdem enim ſic uſos eſſe Verbo ſuo, *ſurgere*, qvod eandem planè habet ſignificationem, paucos ignorare exiſtimo; *ut*,

Virgilius lib. 11. *Æneid. Pugna aſpera ſurgit.*

Ovidius ad Piſonem: Prælia ſurgunt acerrima.

§. VIII.

Dicendum nunc aliqvid eſt de Verbo *Ire*, cúmq; illo compoſitis *Abire*, *Exire*, *Præterire*, *Redire*, qvæ in vernacula noſtra lingva uſu ſuo nec carebunt, ſi ad lydium rationis probata fuerint lapidem. Ut itaq; nos dicimus: Det gick bædre end jeg hafde tænkt; Parî jure Latinè licet dicere: *Ibat res melius, qvàm putâram;* id eſt, *ſucceſſit res melius &c.* In *Cicerone* certè locutionis hujus fit mentio *lib.* 14. *ad Attic.*

Incipit *res melius ire, qvàm putâram.* Eodem ſanè Verbo eadem in ſignificatione uſus legitur *Virgilius lib.* 7. *Æneid.*

Sævæ nutu Junonis *eunt res.*

Item *Curtius lib.* 8 Dii propitii eodem curſu, qvô fluxêre, *res ire* patiantur.

Cum itaq; *Ciceroni* placuerit: *It melius res*; qvis tamen inde audebit permittere ſibi libertatem ita loqvendi: *Bene illi res it*; Det gaar hannem vel? Locutio ſanè utcunq; freqvens noſtris ſermonibus, ægre ſe usqvam Latinô probatóq; ſcriptore tuebitur. Pro eo, *res bene ei procedit*, probatur *Ciceroni lib.* 12. *ad Caſſium.*

2. Sed

2. Sed laxiùs habitat Romana eloqventia, qvàm ut uni Verbo unam tantùm adſtringat ſignificationem, Dicimus enim nos: Dagen gaar / Tiden gaar; Ita Latini: *Dies it*, *tempus it*, pro, *Præterit*, *elabitur*. Latinis optimi ſeculi auribus haud ingrata locutio;

Plautus Pſeud. act. 1. *ſc.* 3. *It dies*: ego mihi ceſſo: I præ puere.

Idem Caſin. It dies noſtro omine.

Ovidius lib. 3. *Faſtor. Alter ut it menſis*, ſic liber alter eat.

Neq; à compoſito Verbo abhorrent Auctores; *ut*,

Terentius Eunuch. act. 2. *ſc.* 3. Dum hæc dicit, *abiit hora*.

Item *Adelphis act.* 4. *ſc.* 3. Hæc dum dubitas, *menſes abierunt decem*.

Seneca epiſt. 8. *Nullus* mihi per otium *dies exit*.

3. Nec prorſus nobis faſtidienda locutio erit: At gaa under Fodfolcket; *Peſſum ire*; præſertim cùm *Plauto*, graviſſimo aurei ſeculi Scriptori, haud ſordeat *Ciſtel. act.* 5. *ſc.* 12.

Frangit amantem animum; neq; niſi

qvia miſer ne *eo peſſum*, mihi ulla abeſt jam perdito pernicies.

Peſſum enim *Adverbium* Veteribus idem ſignificavit, qvod *deorſum*, qvaſi *ad pedes* vel *ſub pedibus*, interprete *Foro Romano*; *ut*,

Lucanus lib. 5. Tellus dedit *peſſum* cacumina.

Columella lib. 12. *cap.* 30. Nam ubi dulcem caſeum demiſeris in eam, ſi *peſſum* ibit, ſcies eſſe adhuc crudam; ſi innatabit, maturam.

Hinc *peſſum ire*, vel *abire*, per translationem eſt, *perire*, *perdi*, à Latino vocabulo *pereo*, vel à Græco βύσσος, *fundum*; *ut*, *Navis abit peſſum*, Det forgaar / gaar til bunds; Sic, *peſſum dare* eſt *perdere*; *peſſum premere*, *in fundum imum deprimere*.

4. Nullo omnino Scriptoris ullius teſtimoniô locutionem hanc: (honorem præfabor auribus) At gaa til Stoels; *Ad ſellam ire*; ſtatuminant Romani ſermonis Theſaurarii, mihi tamen ſit veriſimile, ſuô qvoq; hanc niti fundamentô Latinorum, qvi ejusdem planè ſignificationis voce utentes dixerunt: *Sella familiæ* vel *famili-*

miliaris, pro, *loco, ubi venter exonerabatur.* Consulatur hac de re *Doctissimus Varro lib.* 1. *de re rust. cap.* 13.

5. Verbum *Abire* qvasdam qvoq; significationes habet metaphoricas, in qvibus magnus sit lingvæ nostræ cum Latina consensus. Nam *abire ab emptione* dicunt Latini eâdem significatione, qvâ dicimus sermone vernaculô: At gaa fra sit Kiøb. Hujus sententiæ est *Paulus Jurisconsultus*, cujus hìc allegabimus verba:

Abitum est à priore emptione. Id est, *Discessum est à priore contractu.*

6. Latinis itidem arridet hæc nostra structura: Det skal icke saa gaa hen; *Res non sic abibit.* Etenim apud melioris notæ Latinos leges:

Ad summam, *non posse isthæc sic abire.* *Cic. lib.* 14 *ad Atticum.*

Idem Orat. 1. *in Catil. Non hoc tibi sic abibit.* Id est, *Non hoc impune feres.*

Terentius Andr. act. 1. *sc.* 2. Mirabar, *hoc si sic abiret.* Id est, *Si hæc res ita præteriretur.*

7. Dicimus porrò Latinorum more: Gak din Vey; *Abi viam tuam.* Cum qva loqvendi ratione optimè consentit *Plautus in Rudente:*

Sine

Sine me hinc abire; *tu abi* tacitus *tuam viam.*

8. In lucem deinde & apricum protrahimus & hoc: At gaa fra sin Bestilning; *Abire officio suo.* Non ego qvidem locutionem hanc apud bonos Auctores usurpari existimo, placuit tamen *Ciceroni lib. 5. ad Metell.*

Atq; *abeuntem magistratu* concionis habendæ potestate privavit.

9. Latiali sermone & usu si standum præcisè, habemus etiam, qvô se tueatur: Der gik en Bog ud; *Exiit liber;* pro, *Editus, in lucem emissus est.* Is certè est *Cicero,* qvi *lib. 13. ad Attic.*

Libri qvidem, *inqvit,* ita *exierunt* (nisi fortè me communis φιλαυτία decipit) ut in tali genere, ne apud Græcos qvidem simile qviddam.

10. Non negaverim præterea probæ notæ esse locutionem: At gaa fra Viddet; *E* vel *de potestate mentis exire;* Id est, *Mentis impotem fieri;* qvod de iratis propriè dicitur; ut qvod *Ciceronem* Auctorem agnoscat *lib. 4. Tuscul. qvæst.*

11. E Latina qvoq; lingva deducimus: At gaa noget forbi; *Præterire aliqvid;* pro,

pro, *Dicendo omittere, oblivisci, & nullam de re aliqva mentionem facere.* Qvô loqvendi genere freqventissimè utitur idem *Cicero*; Is enim *lib. 6. ad Atticum.*

Et, qvod pene *præterii*, Bruti tui causâ feci omnia.

Iterum *Cicero lib. 3. in Verr.* Non *prætereundum est* id qvidem.

Rursus *Cicero lib. 9. ad Attic. Præterire* tamen non potui, qvin & scriberem ad te, & illum mitterem.

Neq; deerunt & alia illustria testimonia;

Terentius in prolog. Adelph. Pernoscite, furtúmne factum existimetis, an locum reprensum, qvi *præteritus* negligentiâ est.

Ovidius lib. 6. Fastor. Non tamen idcirco *prætereunda* mihi.

12. E civitate deniq; Romana neq; proscribimus: At komme til sig igien; *Ad se redire;* De iis dictum, qvi consopiti aut deliqvium passi sensum recipiunt; Item, qvi animum ex metu & trepidatione colligunt. Id qvod ex *Livio* nec non *Terentio* licet ostendere.

Livius lib. 1. cap. 41. Jubet bono animo esse, sopitum fuisse regem subitô ictu;

ictu; ferrum haud altè in corpus descendiſſe; *jam ad ſe redire.*

Terentius Andr. act. 3. ſc. 5. Sed paululum ſine; *ad me ut redeam.*

Idem Adelph. act. 5. ſc. 3. Tandem reprime iracundiam, atq; *ad te redi.*

§. IX.

Etiam ſtructura Verbi noſtri, At Høre / Latinitatem ſapit. Etenim non minus apud *Latinos*, qvàm apud *Danos* freqvens loqvendi modus eſt: At høre ilde / vel hos Folk; *Bene, malè audire.* Patronos certè hic invenit optimi ævi Scriptores;

Terentius in prol. Phorm. Benedictîs ſi certâſſet, *audîſſet bene.* Ubi *Donatus: Bene audire*, eſt *bene dici, laudari.*

Idem Phorm. act. 2. ſc. 3. Si herum inſimulabis avaritiæ, *male audies.* Id eſt, *Vituperaberis.*

Cicero lib. 3. de Finib. Eſſéq; hominis ingenui & liberaliter educati, velle *bene audire* à parentibus. Id eſt, *laudari.*

Idem lib. 1. de Legib. Bene audire, & rumorem bonum colligere.

Item *lib. 6. ad Attic.* Hanc nonnulli ami-

amici Appii ridiculè interpretantur, qvi me idcirco putent *bene audire* velle, ut ille *malè audiat*.

Ab hoc dicendi genere neq; abhorret *Chrysostomus*: Τὸ κακῶς ἀκούειν, καλῶς ποιοῦντας, καὶ τοῦτο βασιλικόν ἐστι; Id est, *Regium est, cùm benefeceris, audire malè*.

2. Delicatioribus latinitatis prægustatoribus sapiunt & illa: At være een hørig; At høre een; *Audire aliqvem*; pro, *Obseqvi, parére; obedire*, qvod ipsum ab *audio* est. Ubi τὸ *audire*, qvod ad sensum externum propriè pertinet, floridæ ætatis Scriptoribus notione *obseqvendi* usurpatur. Neq; exemplorum hac in parte laboramus inopiâ.

Cicero lib. 2. de Orat. Eum sum cohortatus, ut magistrum, qvem vellet, eligeret; *me qvidem si audiret*, M. Crassum.

Idem lib. 2. Famil. Tecum loqvere, te adhibe in consilium, *te audi*, tibi obtempera.

Simili qvoq; notione ad *obseqvendi actum* sæpissimè transfertur Participium *audiens*, sed præmissâ voce, *dicto*, & personâ, cui obeditur, tertio casu haud raro expressâ; *ut*, *Cice-*

Cicero in Verr. Reſpondit id, qvod neceſſe erat, ſcilicet *dicto audientem fuiſſe Prætori.*

Idem pro Dejotar. Ut audiens dicto eſſet huic ordini.

Nepos Lyſandrô: Qvi qvod *dicto audientes imperatoribus* non erant.

Idem Iphicrate: Ut nullæ unqvam in Græcia exercitatiores copiæ; neq; magìs *dicto audientes* fuerint *Duci.*

Exemplum autem, ex eodem in *Datame* adductum, impatienter ferimus: *Is regis dicto audiens non erat.* Ubi *regis* pro *regi* adhibetur, & *Genitivus* vicem *Dativi* ſupplet. Nam *dicto-audiens*, monente *Schottô*, per ὑφὲν dicitur, qvaſi una vox eſſet; *ut, ſemper-lenitas* apud *Terentium*; *nunc-homines* apud *Virgilium*; *vitio-pater* apud *Martialem.* Id qvod planè aſtruit alius *Nepotis* locus *Ageſilaô*, cùm ait:

Tantâ modeſtiâ *dicto audiens* fuit *juſſis* abſentium magiſtratuum, ut ſi privatus in comitio eſſet Spartæ.

3. Horum in numero locum qvoqve meretur, qvod vernacula lingva hiſce ita profert verbîs: Jeg har hørt ſige; In qvo ta-

tamen nostrum, Sige/ passivô, ut ita loqvar, significatu exprimitur apud Auctores Latinos; *ut*,

Terentius Eunuch. act. 4. *sc.* 4. Nec qvis esset, unqvam *audieram dicier*.

Cicero in Pisonem: *Audistis* profectò *dici*, Philosophos Epicureos omnes res, qvæ sunt homini expetendæ, voluptate metiri.

§. X.

Nec parùm instituto nostro servit Verbum *Stare*, qvô non raró usi sunt *Latini* eâdem certè significatione, qvâ nos nostrũ, At staa/ exprimimus. Dicimus enim: At staa med een/ imod een; Eodem modô usitatè Latini: *Cum aliqvo, contra aliqvem stare*; pro, *Partes alicujus seqvi, deserere*. De qvorum usu & auctoritate ne dubites, hæc Latinorum testimonia afferenda duximus:

Livius lib. 6. bell. Pun. Qvid igitur minus conveniat milites, qvàm qvum aliæ super alias clades cumularentur, ac Dii propè ipsi *cum Annibale starent*, &c.

Nepos Eumene: Neq; minus eos, *cum qvibus steterint*, qvàm adversus qvos fecerint.

Item *Agesilaô* : Qvi *nobiscum adversus barbaros steterunt.*

Cicero de Clar. Orat. Qvum is *contra populi studium stetisset.*

Virgilius lib. 5. *Æneid.* Hic *magnum Alciden contra stetit.*

2. Inter castigatissimas qvoq; Latii locutiones numerari haud immeritò potest: Haaret stod ham paa Hovedet; *Steterunt comæ*; De homine scilicet subitô pavore perterrito. Patronum enim habet *Virgilium*, ab ista locutione non alienum;

Obstupui, *steterúntq; comæ*, & vox faucibus hæsit. *lib* 2. *Æneid.*

3. A Latinorum etiam loqvendi modo parum aut nihil differre videtur: Det staar paa ham/ at det ikke skeer; *Stat per illum, qvò minus id fiat*; pro, *Is causa est, ne id fiat.* Id qvod Latinorum ita demonstrabimus testimoniîs;

Terentius Andr. act. 4 *sc.* 2. Si poterit fieri, ut ne pater *per me stetisse* credat, qvò minùs hæ fierent nuptiæ, volo.

Plinius lib 18. *cap.* 28. *Non stat per me*, qvò minùs cœlum intelligas, & cœlestia scias.

Sve-

Svetonius Octav. cap. 29. Qvasi *per ipsum staret.*

Qvintilianus lib. 3. *cap.* 8. *Non per me stetit, sed per illa.*

Accedit *Silius lib.* 17. Spes & victoria *stabat in ducibus.*

4. Memoriæ deniq; nostræ obversatur & locutio: At staa een bi; *Assistere alicui;* pro, *Patrocinari, consulere alicui & in judicio adesse, ut vel advocatum vel patronum te præbeas.* Unde *Germanis*: Einer beystehen; ejusdem significationis structura est. De qvo audiamus *Plinium lib.* 7. *epist.* 6.

Assistere jam *Varreno*, jam tantùm ut amicus, & tacere decreveram.

Et *lib.* 10. *epist.* 85. Archippus *cui* Eumolpus sicut *Prusæ assistebat*, dicit se libellum daturum.

Placuit & usus hujus *Apulejo lib.* 1. *de dogm. Plat.* Sed ille (*Plato*) primò historiæ gratiâ, ut naturam Ætnæ & incendia concavi montis intelligeret; secundò petitu Dionysii, ut *Syracusanis assisteret*, projectus est.

§. XI.

Libet hìc etiam usum qvendam Verbi

Sedere, nostris certè familiarem, ab interitu vindicare. Ut enim nos dicimus: Kiortelen sidder vel; Sic nec malè Latinè dicitur: *Bene sedet vestis*; pro, *Apta est*. Id qvod ex *Qvintiliano* clarè ostendemus, qvi *lib.* 11. *cap. ult.*

Pars, *inqvit*, togæ, qvæ postea imponitur, sit inferior; nam ita & *sedet melius*, & continetur.

2. E locupletissima Latinæ lingvæ penu deprompta qvoq; locutio est: Hand sad Ræten; *Sedebat Judex*. *Sedere* enim dicuntur Judices, cùm judicium exercent; Unde *Sessionum dies* appellati, qvibûs Prætores jus dicunt. Protrahimus hîc densum agmen Auctorum illam propugnantium; in qvibus familiam ducet *Cicero*, qvi ita *pro Cluentio*:

Sedistíne Judex in C. Fabricium?

Idem pro Rabirio: Modò vos iidem in Aulum Gabinium *Judices sedistis*.

Livius lib. 3. *cap.* 46. Appius aliqvantisper moratus, ne ejus rei caussâ *sedisse* videretur.

Idem lib. 40. *cap.* 8. *Sedeo* miserrimus pater *Judex* inter duos filios.

Plinius lib. 10. *epist.* 8. Ego me audi-

tu-

turum Niceæ, reſpondi; Ubi cùm *ſediſſem* cogniturus.

Apulejus Apolog. Qvòd ſi modò *Judices* de cauſſa iſta *ſederent* C. Fabricius & Cn. Pompejus.

§. XII.

Ad locutiones nunc, qvas Latinorum Verbum *Capere*, vel ex eo *Accipere*, ſuppeditat, luſtrandas deſcendemus. Ex qvibus Danicæ dictionis familiæ has primùm adſcribimus: At faa Søvn / at faa Mad; *Somnum capere*; pro, *dormire*; *Cibum capere*; pro, *Cibari. Columell.* Cujus rei teſtimonia non à *Terentio* tantùm, ſed & à *Cicerone* mutuati ſumus, qvi *lib. 4. Tuſcul. Qvæſt.*

Noctu, *inqvit*, ambulabat in publico Themiſtocles, qvòd *ſomnum capere* non poſſet.

Terentius Eunuch. act. 2. ſc. 3. *Cibum* nonnunqvam *capiet* cum ea.

2. Ab uſitatiore latinitatis indole nec deſciſcit: At fatte noget; *Aliqvid capere*; pro, *Intelligere*. Id qvod haud obſcurè indicant verba *Plinii Paneg. Trajani cap. 46.*

Ex qvo manifeſtum eſt, *principum diſciplinam capere* etiam vulgus.

Et Prudentius Apotheosi v. 951. Objicit: anne fides *capit*, ut ſubſtantia flante Inſpirata Deo cruciatum ſentiat? Id eſt, *Potéſtne hoc capere, ſeu intelligere fides, ut &c.*

Idem ſanè Verbum cum *Nomine* aliqvo haud raró exprimitur apud Auctores; *ut, Animô aliqvid capere*; apud *Lucan. lib.* 1. *Mente aliqvid capere*; apud *Liv. lib.* 7. *bell. Pun.*

3. Nec parùm ad vernaculæ lingvæ cognitionem refert compoſitum Verbum *Accipere*. Ut enim nos dicimus: At tage noget i en god/ eller i en ond Meening; Pari modô Latini dicunt: *In bonam*, vel *in malam partem aliqvid accipere*; pro. *Bene vel malè interpretari dictum aut factum alterius*; Vel: *De aliqvo bene aut malè judicare.* Sic freqventer locutum conſtat *Ciceronem*;

Sed *bonam in partem accipies. Lib.* 3. *ad Attic.*

Idem ibid. lib. 11. Qvod rogas, ut *in bonam partem accipiam*, ſiqva ſint in tuis literis, qvæ me mordeant; ego verò *in optimam.*

Te-

Teſtimoniis hiſce accedit *Terentius*, qvi ita *Eunuch. act.* 1. *ſc.* 2.

Vereor, ne aliorſum, atq; ego feci, *acceperit.*

Item *Adelph. act.* 4. *ſc.* 4. Omnes, qvibus res ſunt minus ſecundæ, magis ſunt neſcio qvo modô ſuſpicioſi; *ad contumeliam omnia accipiunt magis.*

4. A Latinis qvoq; hæc tracta videtur dicendi conſvetudo: **At tage vel imod een;** *Bene aliqvem accipere*; pro, *Lautó aliqvem convivió excipere.* Et, ut liceat poſthac liberiùs uſurpare locutionem hanc, impetrabunt non difficulter, qvi ſeqvuntur, eruditi ſcriptores:

Plautus Ciſtell. act. 1. *ſc.* 1. Ita in prandio *nos lepidè atq; nitidè accepiſti* apud te, ut ſemper meminerimus.

Terentius Eunuch. act. 5. *ſc*, 8. *Accipit hominem melius nemo, neq; prolixius.* Ubi *Donatus*: *Accipit*, id eſt, *paſcit, invitat.*

Virgilus lib. 3. *Æneid. Illos* porticibus Rex *accipiebat* in amplis. Ubi *Servius*: *Accipiebat*, id eſt, *paſcebat.*

 Ovi-

Ovidius lib.2. Faſtor. Tarqvinius juvenis *ſocios dapibusq́, meróq́ Accipit.*

Seneca epiſt. 21. Hic hoſpes te polentâ excipiet, & aqvam qvoq; largè adminiſtrabit, & dicet; *ecqvid bene acceptus es?*

5. Aliam certè ejusdem locutionis apud optimos Scriptores deprehendimus ſignificationem, cùm ſcilicet à convictibus ad mala verba & verbera transfertur. De illo enim, in qvem maledictis aut verberibûs qvis ſævit, nos dicimus: Hand tog ilde imod ham; Id qvod latinè ſic efferri poteſt: *Male illum accepit.* Manifeſta hìc Auctorum qvoq; in promptu habemus teſtimonia;

Plautus Amphit. Ego pol *te* iſtis tuis pro dictis & malefactis furcifer *accipiam.*

Idem Menæchm. Hominem accipiam qvibus dictîs meret. Id eſt, *Maledictis & convitiis agam cum illo.*

Cicero lib. 2. Tuſcul. Spartæ verô pueri ad aram ſic *verberibûs accipiuntur*, ut multus è viſceribus ſangvis exeat.

Idem

Idem lib. 4. *Tuscul.* Ex qvo illud laudatur Architæ, qvi cùm villico factus esset iratior: *qvô te modô*, inqvit, *accepissem*, nisi iratus essem?

Et lib. 3. *in Verr. Malè accepit* verbîs *Rabonum.*

Item *lib.* 4. *in Verr.* Epicrates *homines* multîs verbîs *malè à se acceptos* dimisit.

§. XIII.

Nec parùm hìc attinet in auxilium vocare Latinorum verbum, *Venire*, & qvod inde fluit, *Pervenire*; qvædam enim ad illa qvoq; pertinentia in vernaeula nostra observavi lingva; è qvibus afferam, qvæ memoria suggerit. Dicimus nos: Det Træ/ den Urt er kommen af sig self; pro, Den er vort af sig self; Id qvod Latinô sic dicendi charactere effertur: *Venit suâ sponte arbor*, vel *herba*; pro, *Crevit suâ sponte*. Locutio sanè incorrupta est, & seculi florentissimi; Manifestè enim ita *Virgilius lib.* 1. *Georg.*

Arbores qvædam veniunt suâ sponte.

Idem ibid. Hic *segetes*, illic *veniunt* felicius *uvæ*.

2. Omni qvoq; vitiô caret hæc nostra

structura: At komme til sit; *Ad suum pervenire.* Qvid enim *Cicerone* castigatius in lingva Latina, cui *in Orat. pro Qvinctio* hæc exciderunt verba:

Inveniri ratio non potest, ut *ad suum* qvisq; qvàm primùm *perveniat.*

Hìc *suum* pro cujusq; *proprio* dicitur; *ut,*

Suus cuiq; mos est. *Terent. Phorm.*

Trahit *sua* qvemq; voluptas. *Virg. Eclog.* 2.

Suum cuiq; pulchrum. *Adag Erasm.*

3. Huc etiam pertinet: At komme til sine Penge; *Ad nummos suos pervenire*; qvod eidem *Ciceroni* neqvaqvam displicet *in Epist.* 14. *lib.* 13. ubi rogat Brutum,

Ut det operam, ut libertus Strabonis qvàm commodissimâ conditione negotium conficiat, *ad nummósq; perveniat.*

Idem pro Rab. *Ad fortunas suas* aliqvando *pervenire* sese posse spes fuit.

4. Venustè porrò indolíq; Latinæ congruenter dicimus: Det kom mig for Øren; *Res ad aures meas venit, pervenit.* Id qvod, florente Româ, eruditissimis in ore fuit; *ut,*

Cice-

Cicero pro Marcell. Sæpe enim *venit ad aures meas*, te idem iſtud nimis crebrò dicere, ſatìs te tibi vixiſſe.

Idem lib. 6. in Verr. Ad aures alicujus neſcio qvomodo *pervenit res hæc.*

Et *pro Sylla: Fama ad aures meas pervenit.*

Nepos Miltiade: Non dubitans tam multis conſciis *ad regis aures conſilia ſua perventura.*

Virgilius lib. 9. Æneid. Clamor ad aures pervenit.

5. Ex priſca latinitate ſumptum eſt itidem: Hand ſiger / hvad der kommer ham i Munden; *Dicit, qvicqvid in buccam venit.* In qvo notandum, *buccam* hìc pro *ore* ſumi, ex qvo vox prodit. Qvin & ne loqvendi hic modus reus peragatur corruptæ latinitatis, efficiet *Tullius* (qvi non ſemel ita dixit, de tumultuaria ſcriptione, & qvæ fit ſine delectu rerum & elocutionis) *lib.* 1. *ad Atticum*:

Tu velim ſæpe ad nos ſcribas; Si rem nullam habebis, qvod *in buccam venerit*, ſcribito.

Sic *Martialis lib.* 12. *epigr.* Qvicqvid *in buccam tibi venerit*, loqvaris.

Idem

Idem in eandem ſententiam *lib.* 11. *Qvicqvid venerit obvium*, loqvamur moroſa ſine cogitatione.

6. Nec à Latina loqvendi ratione deflectit: At komme i Vane; *In conſvetudinem venire; Ciceronem* enim aſſertorem habet *lib.* 2. *de Invent.*

Deinde qvædam *in conſvetudinem* ex utilitatis ratione *venerunt.*

7. Latinorum porrò ſtructuram imitantur planè ſtructuræ ſeqventes: At komme i Mistancke / i Foragt; *In ſuſpicionem, in contemptum venire.* Id qvod Latinorum ita teſtimoniîs evincimus:

Cicero lib. 2. *de Invent.* Si id non poterit, ſiqvam *in ſimilem antè ſuſpicionem venerit.*

Et *ad Brutum: In ſuſpicionem* de morte alicujus *venire.*

Juſtinus lib. 39. *cap.* 5. Aſſiduîs præliîs conſumpti *in contemptum finitimorum venerunt.*

Cæſar lib. 5. *de bell. Gall. In contemptum venire.*

8. Laxiore vocis uſu ſumitur & Verbum *Venire*, qvando Latinorum more dicimus: Det kom til Proceß; *Res venit in contentio-*

tionem, in controversiam. Qvam ſanè loqvendi conſvetudinem uſurpare non dubitavit *Cicero pro Qvinctio:*

Qvod niſi ex Publicio narratum Nævio eſſet, non tam citò *res in contentionem veniſſet.*

Item *Qvintilianus lib.3. cap.6. In controverſiam* vel *contentionem venit ea res.*

9. Operæ qvoq; pretium ducimus, legentium oculis hanc noſtram ſubjicere locutionem: At komme i fremmede Hænder; *In alienas venire manus.* Cujus locutionis uſum nemini ſvadere non audemus, cùm *Ciceroni* placuerit *lib. 1. epiſt. 7. ad Attic.*

Propter hanc dubitationem meam brevior hæc ipſa epiſtola eſt; qvòd, cùm incertus eſſem, ubi eſſes, nolebam illum noſtrum familiarem ſermonem *in alienas manus devenire.*

Idem lib. 3. de Offic. Neq; enim qvicqvam de hac parte poſt Panætium explicatum eſt, qvod mihi qvidem probaretur, de iis, qvæ *in manus meas venerint.*

Pari modô *Qvintilianus: Libros in manus hominum venire* dicimus.

10. La-

10. Latinis præterea familiaris est hæc nostra loqvendi ratio: At komme paa tale om noget; *In sermonem de re aliqva venire.* Ita enim ille, qvi purè loqvendi laude floruit, loqvutus est.

Brundusii cùm loqverer cum Phania liberto tuo, *veni in eum sermonem*, ut dicerem libenter me ad eam partem provinciæ venturum, qvò te maximè velle arbitrarer. *Cicero lib. 3. epist. 5.*

11. Eodem ferè loqvendi genere usus legitur *Cicero*, detortâ leniter in sensum alium significatione: *In sermonem & ora hominum venire*; At komme i Folcke-Munde; Ita enim florentissimus Scriptor *lib. 6. in Verr.*

In sermonem hominum & vituperationem *venire.*

Manifestè qvòq; *Horatius in Epistol. Venire in ora hominum.* Id est, *Celebrem fieri & notum, de qvo omnes loqvantur.*

Alio certè Verbô eandem locutionem extulit *Cicero lib. 3. in Verr.*

In ore vulgi & in communibus proverbiis istius iniqvitas *versatur.*

Idem

Idem lib. 2. de Finib. Nunqvam audivi in Epicuri Schola Lycurgum, Solanem, Miltiadem, Themistoclem, Epaminondam nominari; qvi *in ore sunt cæterorum omnium Philosophorum.*

Ad rem etiam *Terentius Adelph. act. 1. sc. 2.* Clamant omnes indignissimè factum esse; Hoc advenienti qvot mihi, Micio, dixêre? *In ore est omni populo.*

12. Ad Latinorum deniq; placitum & palatum loqvimur: At komme i Fare; *In periculum, in discrimen venire.* Id qvod exemplis ostendimus luculentis;

Cicero lib. 3. in Verr. Neq; adhuc caussam ullam excogitare potuit, qvamobrem commiserit, aut qvid evenerit, *ut in tantum periculum veniret.*

Idem in Q. Cæcilium: Semper ii diligentissimè laboriosissiméq; accusârunt, qvi seipsos *in discrimen existimationis venire* arbitrati sunt.

§. XIV.

Latinorum Verbum, *Pati*, aliqvot itidem habet usus, in qvibus magnum Latinæ

næ lingvæ cum noſtra conſenſum haud raro obſervavimus. Qvemadmodum enim de homine, qvi moroſô & inqvietô eſt animô, ſuáq; minimè fortunâ contentus, dicimus: Hand kand icke lide ſig ſelf; pari qvoq; ratione cum bona latinitatis venia dicere poſſumus: *Se pati non poteſt.* Audi *Senecam*, cui, *lib.* 4. *Natural. qvæſt. princ.* ita libuit diſſerere.

Scio, qvàm ſit ambitioni alienus, familiaris otio ac literis; Turbam rerum hominúmq; deſiderent, qvi *ſe pati non poſſunt.*

2. Nec mirum Donos noſtros ita loqvi: Jeg kand icke lide det; cùm jam diu antè viam præiverint Latini, qvi non tantùm dixerunt, *non feram*, verùm etiam, *non patiar*, *non poſſum pati.* Non enim erubuit ita loqvi *Cicero lib.* 1. *in Verr.*

Non feram, non ſinam, *non patiar.*

Item *lib.* 8. *ad Famil. epiſt.* 4. Pompejus conſtituit *non pati*, Cæſarem Conſulem aliter fieri, niſi exercitum & provincias reddiderit.

In eandem ſententiam *Nepos Alcibiade:* Athenas victas Lacedæmoniis ſervire *non poterat pati.*

Idem Cimone: Negavit *se passurum* Miltiadis progeniem in vinculis publicis interire.

3. Neq; prætereundus hic videtur seqvens loqvendi modus: Det taaler ingen Forhaling; *Res dilationem non patitur.* Qvam sanè locutionem haud rarò sibi permisit *Livius*, qvi *lib.* 21.

Alter, inqvit, *nullam dilationem patiebatur.*

Et *lib.* 3. Hæc res *dilationem pati non potest.*

§. XV.

Veniendum nunc ad Verba, *Videre, Aspicere*; à qvibus natales suos Danicæ nonnullæ arcessiverunt locutiones. Ac, ne longè abeam, earum è numero est: See til/ hvad du giør; *Vide, qvid agas*; pro, *Cura, provide.* Loqvendi modus, qvô admonemus eos, qvi magna aut periculosa aggrediuntur. Nec Latinorum in hoc desideratur auctoritas; Ita enim *Cicero lib.* 1. *in Verr.*

Vide etiam atq; etiam, ac considera, *qvid agas.*

Idem lib. 16. *ad Tironem*: Navem idoneam ut habeas, diligenter *videbis*; unum illud mi Tiro *videto*, si me amas.

Terentius Hecyrâ act. 5. *sc.* 1. *Videndum est*, ne minus propter iram hanc impetrem. Ubi *Donatus* : Id est, *providendum*, *cavendum*.

Idem Phormion : *Vide*, *qvid agas*, prima coitio est acerrima.

Et *Andr. act.* 2. *sc.* 6. Ego istæc rectè ut fiant, *videro*.

2. A locutione hac haud longè recedit: See du vertil; *Tu videris*; Id est, ut *Vallæ* utar interpretatione, *hujus rei tibi cura sit*, vel, *hujus opinionis rationem reddas*, *non ego*. Habemus hìc, qvem seqvamur, aurei seculi Scriptorem; Is est *Cicero*, qvi *ad Brutum*:

Sed de hoc, *inqvit*, *tu videris*.

Item 5. *Philipp.* Qvid concupiscas, *tu videris*; qvod concupiveris, certè habebis.

3. Non infeliciter deniq; attentamus civitatem latinam huic nostræ donare structuræ; At see een an for en lyksalig Mand; *Pro felici aliqvem aspicere*; cùm auctoritate optimi *Senecæ* non careat, *lib. de Gubernat. mundi*:

Isti, *qvos pro felicibus aspicitis*. Id est, *habetis*, *reputatis*, *æstimatis*.

A qvo

A qvo loqvendi modo non multùm abhorret illud *Senecæ Medeâ. v.* 82.

Cedent Æſonio Duci, *ſi formâ velit aſpici*, proles fulminis improbi.

In hoc enim & aliqvid præſidii relictum videtur noſtræ ſententiæ. Nam, *ſi formâ velit aſpici*; id eſt, *ſi judicari ſeu æſtimari formâ velit*, cedent ei formoſiſſimi ipſi Deorum; *Bacchus* putà, qvem *prolem improbi fulminis* vocat.

§. XVI.

Latinitatem qvoq; redolet illud qvotidianô ſermone tritum: Hand agter til Kiøbenhafn / til Holbeck; ſubaudi, At rejſe; Nam oratio plena eſſet: Hand agter at rejſe til Kiøbenhafn/ til Holbeck. Eodem qvippe elliptico ſermonis genere venuſtè utuntur Heroës latinitatis, in primis *Cicero*, apud qvem *lib.* 2. *ad Attic.* legas:

Ludi Antii futuri ſunt à qvatuor Calend. ad pridie Nonas Maji, eos Tullia ſpectare vult; *inde cogito in Tuſculanum*; *deinde Arpinum*. Subaudi, *ire*, *diſcedere* vel *proficiſci*.

Idem lib. 8. Qvod ubi audîſſem, ſi ille Appia veniret, ego *Arpinum cogitabam.*

Item *lib. 7. epist. 4. ad Famil.* Ad nonum Calend. Julias in Cumanum veni; *in Pompejanum statim cogito.*

Nonnunqvam absolutè sine Accusativo ponitur; *ut*,

Ego hinc perendie mane *cogito. Lib.16. epist. 17. ad Tironem.*

Et lib. 9. epist. 1. ad Attic. Cras *cogitabat*; nos etiam in Formiano morabamur, qvò citiùs audiremus; deinde *Arpinum volebamus.*

Et plura rei hujus si desideres testimonia, consulatur *Doctiss. Elias Maj. de Varianda Orat. pag.* 428.

§. XVII.

Rem porrò accuratè si intueamur, vel leve admodum, vel nullum planè, in qvibusdam loqvendi modis, discrimen est inter usum Verbi nostri, At Tage; & Latinorum, *Sumere.* Dicimus enim: At tage sig Tid til noget; hôc etiam *Latini* nonnunqvam utuntur, dicentes: *Tempus sibi ad rem aliqvam sumere.* Sed ex Auctorum monumentis res patebit clariùs;

Cicero lib. 1. de Legib. Sume tibi ad hanc rem tempus.

Item lib. 4. de Finib. Spatium sumamus ad cogitandum.

Et

Et *lib*. 2. *ad Qv. fratr*. De interpellatione *tantum ſumam* à vobis *temporis adſcribendum*, qvantum dabitis.

Cæſar lib. 1. *de bell Gall. Diem ſe ad deliberandum ſumpturum*.

2. Huic affine eſt: At tage ſig Exempel af nogen; *Ex aliqvo ſibi exemplum ſumere*; pro, *Imitari exemplum alicujus*. Id qvod ex Latinorum fonte noſtros hauſiſſe vel inde evincitur. qvòd à ſimili locutione alieni non fuerint Scriptores optimi; In qvibus *Terentius*, cujus verba *Adelph. act*. 3. *ſc*. 4. hæc ſunt:

Inſpicere, tanqvam in ſpeculum, in vitas omnium jubeo, atq; *ex aliis ſumere exemplum ſibi*.

Idem Andr. act. 4. *ſc*. 1. Qvid iſtuc tam mirum eſt, *de te ſi exemplum capit*? Ubi *Donatus*: *Si te imitatur*?

Neq; ferè aliter *Cicero lib. de Amicit*. Earum rerum *exemplum ex ſimilitudine capiebat* ineuntis ætatis.

Item *de Orat*. Si exempla ſeqvimur, *à Demoſthene ſumamus*.

§. XVIII.

Ex eodem priſcæ latinitatis fonte manat:

nat: At bede een til Giest; *Rogare aliqvem ad convivium;* pro, *Invitare, vocare ad convivium;* Curt. In qva certè ſignificatione Verbum *Rogare* Latinis ſcriptoribus uſurpatum fuiſſe vel ſolus oſtendet *Juſtinus*, qvi *lib*. 43. *cap*. 3.

> Itaq;, *inqvit*, cùm ad nuptias invitati omnes proceſſiſſent, *rogantur etiam Græci hoſpites ad convivium.*

Adjungimus & hìc illuſtrem *S. Ambroſii* locum *Serm. XXI. de Epiphan.*

> *Rogatus ad nuptias* aqvæ ſubſtantiam in vini ſpeciem commutavit.

§. XIX.

Minimè dubium eſt, qvin in hoc qvoq; loqvendi genere: At hænge hos Een; *Hærere apud aliqvem*; pro, *Manere, commorari*; Latinæ lingvæ ſcriptores imitati ſint Daniæ noſtræ incolæ. Inter melioris enim Latini ævi locutiones locum haud rarò invenit;

> *Plautus Epid. act* 5. *ſc*. 8. *Hæret apud meretricem.* Id eſt, *Non poteſt ab ea disjungi.*

> *Terentius Adelph. act*, 3. *ſc* 3. Optumè eſt: Metui ne *hæreret hìc.*

Cice-

Cicero 2. Tuscul. Ibi commorer, ibi habitem, *ibi hæream.*

2. Habet & aliam significationem Verbum *Hærere*, in qva magnus itidem lingvæ nostræ cum Latina consensus est; *ut,*

Terentius Hecyrâ act. 2. sc. 1. In te omnis hæret culpa; Ald Skylden hænger paa dig.

Nec abstinuit *Cicero lib. 5. in Verr.* Utrum enim horum dixeris, *in eo culpæ crimen hærebit.*

§. XX.

Danicam qvi callent lingvam, in Verbo *Jacere* Latinos qvoq; haud rarò imitantur. Dicunt qvippe ad Latinorum morem: Den Bye ligger i Siælland; *Jacet ista urbs Sælandia;* pro, *Sita* vel *condita est in Sælandia.* De cujus locutionis integritate dubitare nolumus, cùm militent pro ea non pœnitendi Auctores;

Justinus lib. 22. cap. 5. Urbes castelláq; Africæ non muris cinctæ, non in montibus positæ sunt, sed *in planis campis*, sine ullis munimentis *jacent.*

Brutus ad Ciceron. lib. 11. epist. 13.

 Qvem

Qvem locum volo tibi eſſe notum;
Jacet inter Apennium & Alpes,
impeditisſimus ad iter faciendum.
Plinius lib. 4. *hiſt.nat.cap.* 16. *Inter Septentrionem & occidentem jacet.*
Ovidius lib. 4. *eleg.* 6. Innumeri montes *inter me teq; jacent.*

2. *Jacere* inter alias ſignificationes etiam Auctoribus Latinis pro *ægrotare* uſurpari obſervavimus; qvæ ſignificatio & noſtris familiaris eſt, dicentibus: Hand ligger; *Jacet*; pro, *Ægrotat, morbô conflictatur.* Certè *Plinius* nòn infelicis induſtriæ ſcriptor hoc uſurpare non dubitavit *lib.* 5. *epiſt* 9.

Triſte illud, qvod Julius Valens *graviter jacet*, qvanqvam ne hoc qvidem triſte, ſi illius utilitatibus æſtimetur, cujus intereſt, qvàm maturisſimè inexplicabili morbô liberari.
Accedit *Statius*, qvi *in Sylvis* ita: Sed non mors lenta *jacentis* Exedit puerile decus.

§. XXI.

E Latinorum Verbo, *Cadere*, qvædam & mutuati ſunt *Dani*, ſuáq; donârunt civita-

vitate. Horum nos classi hoc primùm adscribimus: Modet falder paa ham; *Cadit illi animus.* Cujus rei luculentissimus testis esse potest vel solus *Cicero*, qvi *in libro de Amicitia*:

Nec debilitari animus, aut *cadere* patitur.

2. Ad eandem qvoq; loqvendi rationem referimus: Det falt/ som jeg vilde; *Cecidit res, ut vellem*; pro, *Evenit.* Ecce satis idoneum Auctorem, *eundem* scilicet *Ciceronem*, qvi *lib.* 3. *ad Atticum*:

Sanè ita *cadebat, ut vellem.*

Idem ibid. Nihil mihi optatius *cadere* potuit.

Et *lib.* 2. *in Verr.* Verùm hoc adhuc percommodè *cadit.*

Item *lib.* 2. *de Orat.* Peropportunè *cecidit* mihi hoc.

3. Latialem etiam naturam hoc sapit: At falde i Syygdom; *In morbum cadere*; pro, *Morbô affici, corripi.* Idoneum hìc Auctorem dabo; Is adhuc est *Cicero*, cujus istæc leguntur verba *lib.* 1. *Tuscul.*

Alteram affert rationem, nihil esse qvod doleat, qvin id ægrum esse

qvoq; posſit; qvod autem *in morbum cadat*, id etiam interiurum.

Sæpe etiam locum habet Verbum compoſitum; *ut*, *In morbum incidere;* Id qvod eundem agnoſcit Auctorem *lib. de Senect.*

4. Ad aleæ nonnunqvam luſum transfertur & idem Verbum. *Cadere* enim Latinis dicitur, qvod jactîs teſſerîs proſilit, qva ratione *Dani* qvoq; Verbo ſuo, At falde/ utuntur. *Ex.gr.* Der falder intet; *Nihil cadit.* Qvam ſanè loqvendi formam tuetur *Terentius Adelphîs act.* 4. *ſc.* 7.

Ita vita eſt hominum, qvaſi cùm ludas teſſerîs; Si *illud*, qvod maximè opus eſt jactu, *non cadit*, illud, qvod *cecidit* fortè, id arte ut corrigas.

§. XXII.

Non *Danis* tantùm, ſed *Latinis* qvoq; familiares ſunt qvædam loqvendi formulæ, à Verbo *Ducere* deſumptæ. Cùm enim dicimus: At føre Krig med een; Id tali ab Auctoribus latinitate donatum reperimus: *Bellum cum aliqvo ducere.* Si idoneum hìc Auctorem deſideres, deſiderio tuo ſatisfaciemus per *Virgilium*, qvi ita *lib.* 8. *Æneid.* Hi

Hi *bellum* aſſiduè *ducunt cum gente Latina.*

Cæterùm urget hìc in contrarium *Servius*, haud contemnendæ induſtriæ Interpres, *bellum ducunt*, ibi ſumi pro *bellum in longum trahunt*. At ſi qvis hìc pro *ducunt* reponeret *in longum trahunt*, ridiculam ſanè & *Pleonaſmo* obnoxiam phraſin conſtrueret. Ineptè enim addita eſſet vox *aſſiduè*, ſi *ducere* idem eſſet, qvod *in longum trahere*.

Audiendus & hìc eſt *Nepos in vita Datamis cap.* 8.

Autophradates, cùm *bellum duci* majore regis calamitate qvàm adverſariorum videret, ad pacem amicitiámq; hortatus eſt, ut cum rege in gratiam rediret.

2. Huic vicinæ locutiones ſunt: At føre it ſkikkeligt/ it ſlemt Lif og Lefnet; *Vitam honeſtam, peſſimam ducere.* Non ego qvidem loqvendi hanc rationem inter melioris ævi ſcriptores reperiri exiſtimo, omnino tamen non aſpernenda, cùm nihil apud *Auguſtinum* eâ freqventius, qvi *lib.* 5. *contra Julianum cap.* 3. ita ſcripſit:

Ex numero electorum & prædeſtinatorum,

rum, etiam qvi *pessimam duxerunt vitam*, per Dei benignitatem adducuntur ad pœnitentiam.

Sed ne qvis existimet fœtum esse solius *Augustini*, audiatur & *Cicero*, cæteríq; locutionis hujus architecti:

Cicero pro leg. Manil. Atq; eos portus, qvibus *vitam* & spiritum *ducitis.*

Virgilius lib. 2. *Æneid.* Me si cœlicolæ voluissent *ducere vitam*, Has mihi servâssent sedes.

Lucretius lib. 3. Nec prorsum *vitam ducendô* demimus hilum: Tempore de mortis, nec delibare videmus.

Et *lib.* 2. additô Adjectivô: *Et dulcem ducunt vitam*, prolémq; propagant.

§. XXIII.

Florentis qvoq; Latii fœtus videtur: At føre noget ud; *Aliqvid efferre;* pro, *Divulgare, palàm facere.* Ostenditur qvippe haud difficulter, Veteres, qvi purè locuti sunt, locutionem illam & scivisse, & usurpâsse. Istuc tendunt verba *Terentiana Adelph. act.* 4. *sc.* 4.

Nunc qvid faciam? dicam fratris esse hanc? qvod minimè est opus usqvam *efferri.* Id est, *Divulgari.* Et

Et *Cæſar lib. 1. de bell. Gall.* In vulgus militum *elatum eſt*, qvâ arrogantiâ Arioviſtus uſus.

Item *Nepos Dione*: Res multis qvæ gereretur *elata*.

Adjungitur qvandoq; Adverbium *Foras*; *ut*,

Cicero 10. *Philipp.* An verò hoc pro nihilo putas, *efferri hæc foras*, & ad reipublicæ aures pervenire.

Terentius Phorm. act. 5. *ſc.* 7. Vides tuum peccatum eſſe *elatum foras*.

§. XXIV.

Ex eodem fonte eſt: At mænge ſig i fremmede Sager; *Alienis ſe immiſcere nogotiis*. Habet & hoc, qvô ſe tueatur, *Livium* ſcilicet, cujus *lib.* 5. hæc ſunt:

Immiſcere ſe alicui bello.

Item *lib.* 1. *bell. Pun.* *Immiſcere ſe colloqviis.*

Et *Pompon. de Verb. ſignificat.* *Immiſcere ſe rei alienæ* culpa eſt.

§. XXV.

Permiſerunt & nobis Latini hanc loqvendi licentiam: Jeg ſvær dig til / at jeg aſ-

aldrig vil giøre det; *Adjuro tibi, nunqvam id me facturum.* Ad qvod probandum ad partes vocatur *Terentius*, qvi *And. act.* 4. *sc.* 2.

Per omnes, *inqvit*, *tibi adjuro Deos*, nunqvam eam me deserturum.

Tertius nonnunqvam casus reperitur omissus; *ut*,

Cicero 1. *Philipp.* *Adjurásq;* id te, invitó me, non esse facturum.

Terentius Hecyrâ act. 1. *sc.* 2. Sanctè *adjurat*.

§. XXVI.

Concisam hanc, qvâ utimur, loqvendi formulam latinitati qvoq; conamur asserere: At love sig bort til Nogen; *Promittere se ad aliqvem*; pro, *Promittere se venturum ad aliqvem ad cœnam*, vel *ad prandium*. Id qvod optimorum scriptorum sese tuetur fide; *ut*,

Cicero lib. 2. *de Orat.* Tum cùm ille dubitaret, qvòd *ad fratrem promiserat*, ego, inqvit Julius, pro utroq; respondeo, sic faciemus.

Plautus Stich. act. 4. *sc.* 1. Et magìs par fuerat, me dare vobis cœnam ad-

adventientibus, qvàm *me ad illum promittere.*

Idem Menæchm. act. 5. sc. 2. Unâ operâ prohibere, *ad cœnam ne promittat*, postules.

Plinius lib. 1. epist. 15. Heus tu, *promittis ad cœnam*, nec venis; dicitur jus? ad assem impendium reddes, nec id modicum.

§. XXVII.

Neq; omittere hîc libet locutionem: At bøye/ vrie Retten; *Jus torqvere*; pro, *Pervertere*; propter auctoritatem *Ciceronis*, qvi *in Orat. pro Cecinna* eâdem usus legitur.

§. XXVIII.

Hîs missîs, ad Verbum *Volare*, eiq; affine *Involare*, pedem promovebimus. Sermoni nostro haud ignota locutio est: Hand flyfver af stæd; qvâ Latina etiam lingva delectatur: *Volat*; pro, *Celeriter fertur, currit.* Huc accommodamus illud *Terentii Hecyrâ act. 3. sc. 4.*

Ne me frustra illic exspectet, *vola.*
Ubi *Donatus*: *Ita curras*; inqvit, *ut volare magis, qvàm currere videa-*

dearis. Et antea *transcurrere* jusserat; nunc adjecit imperio, *non curre, sed vola.*

Nec abstinuit *Cicero* 10. *Philipp.*

Qvem nisi in via caducæ hæreditates retardâssent, *volâsse* eum, non iter fecisse diceres.

2. In hac operis nostri parte locum qvoq; habebit: At flyfve i Oynene/ i Haaret paa een; *Involare alicui in capillum*; pro, *Cum impetu irruere in aliqvem*, vel, *violentas in aliqvem manus inferre.* A qvo loqvendi modo non abhorret *Terentiana* dictio *Eunuch. act.* 4. *sc.* 3.

Ut ego ungvibus facilè *illi in oculos involem* venefico.

Idem ibid. act. 5. *sc.* 2. Vix me contineo, qvin *involem in capillum.*

§. XXIX.

Idem esto judicium de Latinorum Verbis, *Mordere, Rodere*, qvæ in Dania qvoq nostra domesticam qvasi sedem habere videntur, cùm dicimus: Du har altid mig at tygge/ at gnafve paa; Eodem qvippe modô loqvuntur *Latini*: *Me semper mordes, rodis*; pro, *Me semper calumnia-*

mniaris ; mihi ſemper obtrectas. Freqvens ſanè apud Auctores locutionum harum uſus eſt ; id qvod ex ſeqventibus teſtimoniis planum erit ;

Terentius Eunuch. act. 3. ſc. 1. Invidere omnes mihi : *mordere* clanculum ; ego non flocci pendere.

Cicero pro Corn. Balbo : More hominum invident, in conviviis *rodunt*, in circulis vellicant.

Horatius lib. 4. *Carm. od.* 3. Dente invido *mordeor*.

Idem lib. 1. *Serm. ſat.* 4. Amicum abſentem *rodere*.

Ovidius lib. 1. *Triſt. eleg.* 1. *Morderi* dictîs.

2. Huic cognatum eſt : Urten bider paa Tungen ; *Mordet lingvam herba*. Latinis hoc etiam in uſu fuiſſe, vel ex illo *Plinii lib.* 12. *cap.* 19. elicimus, ubi *mordere herba* dicitur ſapore acri ; Sic *lib.* 22. *cap.* 14. apud eundem legas : *Mordens folium*.

§. XXX.

Eadem etiam de Verbo, *Agere*, ratio eſt. Delectatur enim ſæpe lingva noſtra ſtructurâ hac : Jeg har intet med dig at giøre.

Qvod loqvendi genus, teste Auctore *Fori Romani*, usurpatum fuit *Plauto*, ita scribenti: *Nihil ago tecum.* Id est, *Nihil rei mihi est tecum.* Informe autem dictionis monstrum est, & ab omni Auctorum usu remotissimum: *Nihil habeo ad faciendum tecum.*

2. Latinæ deinde lingvæ assignamus qvoq; originem locutionis hujus: At giøre en rejse; *Iter agere;* cùm optimorum hac in re scriptorum videamus vestigia;

Ovidius lib. 2. Metam. de volante Mercurio: Agere iter in rectum.

Idem lib. 8. Metam. de Icaro: Altius egit iter.

Plinius lib. 8. cap. 42. Agere longum iter.

3. In Latio porrò qværimus natales hujus: Hvad giør du? *Qvid agis?* Oratio est prohibentis, aut revocantis; qvasi qvis diceret: *qvid agere paras? qvid vis facere?* Valde mihi verisimile fit, ab eo Latinos non abstinuisse, vel maximè ob auctoritatem *Terentianam Phorm. act. 1. sc. 4.*

Ah! *qvid agis?* qvò abis, Antipho?

Ubi *Donatus: Perturbati intercessoris est dicere, qvid agis? ut in Andria:*

dria: Mea Glycerium, inqvit, *qvid agis? cur te is perditum?*

4. Ex eodem deniq; fonte deductum est: Det er giort med ham; *Actum est de illo.* Formula, qvâ desperatam rem significârunt Veteres. Supervacuum hìc non erit, ex *Plauto*, *Terentio aliisq;*, incorrupta hanc in sententiam convehere testimonia;

Plautus Pseud. act. 1. *sc.* 1. *Actum* hodie *est de me.*

Terentius Andr. act. 3 *sc.* 1. Qvid ego audio? *Actum est*, siqvidem hæc vera prædicat. Ad qvem locum *Donatus* monet, *hoc secundum jus civile dictum esse, qvô cavetur, ne qvis rem actam apud Judicem repetat.*

Idem Adelph. act. 3. *sc.* 2. Perimus, *actum est.* Ubi iterum *Donatus*: *Verba*, inqvit, *sunt desperationis; nam* actum est *dicitur in ea re, de qva jam lata sit sententia.*

Livius lib. 1. Etiam *de Servio actum* rati.

Svetonius Nerone cap. 42. Veste discissâ, capite converberatô, *actum de se* pronunciavit.

§. XXXI.

Latinæ præterea lingvæ & ortum hujus tutò adſcribimus : Heſtene ſpringer ; *Saliunt eqvi* ; cùm ſcilicet generationis cauſâ eqvas inſiliunt, ſive ineunt ; nam ſaliendô aſcendunt. Ad partes hìc noſtras vocamus *Ovidium*, qvi *lib.* 1. *de arte am.*

> *Læta ſalitur ovis*, tauro qvoq; læta juvenca eſt.

Similia tradit *Varro lib.* 2. *de re ruſt. cap.* 7.

> Qvum eqvus, *matrem ut ſaliret*, adduci non poſſet &c.

> Item *lib.* 3. *cap.* 7. *de Anſeribus* : *Saliunt* ferè in aqva.

2. Ab eodem Latinorum fonte derivamus & noſtrum, Spring=Band ; *Saliens aqva* ; pro, *Currens aqva*, qvam tubuli fiſtulæve reddunt. Ex *Virgilio* certè *Svetonióq;* ſimilis exſculpi poteſt loqvendi modus ;

> *Virgilius Eclog.* 5. Dulcis aqvæ *ſaliente* ſitim reſtingvere *rivô.*

> *Svetonius Auguſtô cap.* 82. Sæpe in periſtylio *ſaliente aqvâ*, atq; etiam ventilante aliqvo cubabat.

Hinc abſente Subſtantivô, *ſalientes*, pro fontibus, qvi tubîs aut fiſtulîs aqvam fundunt. Conſulamus hìc oraculum *Vitruvii lib.* 8. *cap.* 7.

Hæc,

Hæc, *inqvit*, maximè conſiderantur A-
thenis, ibi enim ex ejusmodi loci fontibus, & in Aſty, & ad portum Pyræum, ducti ſunt *ſalientes*, è qvibus bibit nemo, ſed lavationibus & reliqvis rebus utuntur, bibunt autem ex puteis.

3. Cum hoc loqvendi genere nec malè convenit: Trœerne ſpringer op; *Saliunt arbuſta*; pro, *Repentè è terra exoriuntur.* Nec opus hìc longâ inqviſitione; offert enim ſe *Lucretius*, idoneus ſcriptor, *lib.* I. *cap.* 38.

Arbuſta ſaliunt è terra.

4 Nec nobis deniq; nec Latinis ſcriptoribus inviſa ſtructura eſt: At ſpringe over noget; *Tranſilire aliqvid*; pro, *Tacere*, & *tanqvam negligenter aliqvid omittere.* Utitur ſanè hoc dicendi modo *Plinius in Paneg.*

Qvid eſt enim in principatu tuo, qvod cujusqvam prædicatio vel *tranſilire*, vel ptætervehi debeat?

Satisfacit & illud *Ciceronis* 2. *Philipp.*

Rem pulcherrimam tranſilire.

Idem lib. 3. *de Orat.* Id accidere credo, vel qvod ingenii ſpecimen eſt qvod-

I 3 dam,

dam, *transilire* ante pedes posita, & alia longè repetita sumere.

§. XXXII.

Sed inter cætera neq; transeundum illud, è Latino Verbo *Ostendere* deductum: Jeg skal vel vise dig det; *Ego ostendam*. Præsidium hic satis tutum nobis erit in illo *Terentii Phorm. act. 5. sc. 3.* ubi marito suo graviter irata *Nausistrata*, ejusmodi in illum effundit fulmina:

Virum me natam vellem: *ego ostenderem.*

Idem paullò antè Adelph. act. 1. sc. 2.

Te plura in hac re peccare *ostendam*.

§. XXXIII.

Industriam verò nostram ne desideret Lector, experiemur porrò vires, & qvæ Verbum *Frangere* nobis subministrat loqvendi genera, liberè edissertabimus. Placet certè Latinis: *Labore aliqvo se frangere*; qvos è vestigio seqvimur, dicentes: At bryde sig med noget Arbeyde. Fœtus est *Ciceronis in Orat. pro Archia*; Is enim ibi:

Nec *tantîs se laboribûs frangeret*, neq; tot curîs vigiliísq; angeretur.

Ex-

Exſtat qvoq; apud *Horatium lib.* 1. *Serm. ſat.* 1. *Multô* jam *fractus* membra *labore*.

2. E Latina qvoq; lingva accerſimus originem locutionis hujus: At bryde Een med Noget; *Re aliqvâ aliqvem frangere*; pro, *Domare, vincere, refrænare. Ciceroni* qvippe *cæterisq; optimis ſcriptoribus* ſtructura hæc arriſit;

Cicero ad Plancum: Frangere aliqvem ingeniô & induſtriâ.

Eidem poſt red. in Sen. dicitur: *Judiciô aliqvem frangere*, non vi ſuperare.

Ovidius lib. 3. *eleg.* Mala *ingenium fregêre meum.*

Statius 11. *Thebaid. Gemitu ſupplice frangere aliqvem.*

3. A Latinorum ſermone nec procul videmus abeſſe: At bryde Loven / bryde ſit Forbund; *Legem, fœdus frangere.* Facilè eſſet ex *Horatio aliisq;* hanc in rem exempla congerere, ſi operæ videretur pretium:

Horatius enim ita *lib.* 1. *epiſt.* 13. Vade, vale, cave ne titubes, m*andatáq; frangas.*

Cicero in Pisonem: Frangere fœdus.
Et *Lentulus Ciceroni: Leges alicujus frangere.*

4. Sed latiùs adhuc Verbi hujus usum extendimus, dicentes: Dagen er brudt; Sic satìs Latinè dicitur: *Fractus est dies*; cùm scilicet qvædam diei pars in negotio aliqvo absumpta est & transacta. Obduces fortasse, nulla usqvam structuræ hujus apud scriptores reperiri vestigia. Sed qvid respondebitur, si *Horatianus* accesserit locus, nullis hactenus, qvod sciamus, Criticorum obelis confixus? Is exstat *lib.* 2. *Carmin. ode* 7.

Cum qvo *morantem sæpe diem merô fregi.* Ubi Interpres: *Diem frangere, est partem diei in vino & poculis ponere & transigere.*

§. XXXIV.

Pari censendi cupiditate capti Latinorum Verbum *Gerere* proseqvimur, nostris, At bære/ at føre/ minimè adversum. Lingvæ qvippe non minus Latinæ qvàm Danicæ propria loqvendi ratio est: Hand bar sig ilde/ vel ad; *Turpiter, honestè se gessit. Tullius* certè hanc sibi non displicuisse testatur. Neq; tantùm *in lib. de Amicit.* Qvi

Qvi *ita ſe gerunt*, ita vivunt, ut eorum probetur fides, integritas, æqvalitas, liberalitas.

Et *ad Atticum lib.* 6. *Gerere ſe honeſtè. Lib.* 9. *Perditè ſe gerere.*

Sed & *pro Leg. Agrar. Ita ſe gerit*, ut ſibi jam decemvir eſſe videatur.

Qvòd ſi non ſuffecerit iſte, provocabimus ad alios, non pœnitendi nominis ſcriptores;

Nepos in Attico: Hic autem *ſic gerebat*, ut communis infimis, par Principibus videretur.

Plinius epiſt. 36. *Geſſit ſe turpiter* in legatione.

Qvintilianus lib. 2. *cap.* 17. Nec omittendum qva in re alius *ſe inartificialiter*, alius *artificialiter gerat.*

2. In Latina deinde lingva & hujus nos oſtendimus veſtigium: At føre Krig med een; *Bellum cum aliqvo gerere.* Locutio ſanè *Ciceronis* auctoritate roborata *lib.* 2. *de Finib.*

Cum Stoicis bellum gerere.

Debetur & *Cæſari lib.* 1. *bell. Gall.* Belgæ *cum Germanis* continenter *bellum gerunt.*

3. Has inter recenſeri qvoq; meretur conſtructio: **At være Had / Vrede til een;** *Odium, iras, inimicitias cum aliqvo gerere.* Id qvod majoris lucis cauſâ exemplîs jam illuſtratum ibimus:

Terentius Hecyr. act. 3. ſc. 1. Pueri *inter ſeſe* qvàm pro levibus noxis *iras gerunt?*

Cicero pro Cælio: Muliebres inimicitias cum aliqvo gerere.

Plinius lib. 8. cap. 18. Odium adverſus aliqvem gerere.

CLAS-

CLASSIS QVARTA

DE FORMULIS,

qvas

In ADVERBIIS & CONJUNCTIONIBUS obſervavimus.

Atq; ſic longè latéq; patentes VERBORUM formulas, divinâ freti ope, examinavimus & excuſſimus; nunc deinceps ADVERBIA & CONJUNCTIONES ſub incudem vocabimus.

§. I.

A Latinorum ſermone & uſu neqvaqvam abhorret loqvendi genus, qvod *Celeberr. Borrichius*, fulgentiſſimum illud literati orbis lumen, *in Cogitat. ſuis Philolog. pag. mihi* 142. annotavit: Elementſke ſtor/ gruelig ſmuck/ forbiſtret ond/ forbandet vel. Habet enim, qvô ſe tueatur, oraculum *Plautinum*, cujus *Bacchid. act.* 4 *ſc.* 5. hæc ſunt:

Inſanùm magnum molior negotium. Id eſt, *valde magnum*.

Idem

Idem Mostell. act. 3. *sc.* 3. *Insanùm bonam* porticum.

Et *Milit. glor. act.* 1. *sc.* 1. Me sibi habeto, & ego me illi mancupio dabo, ni unum epityrûm edam apud illum, esuriens *insanè bene*.

In qvibus τὸ *insanum* respondet nostris Elementske/ gruelig/ forbistrit/ forbandet; & τῦ *valde* vicem Adverbialiter supplet; *ut*, *Insanùm magnum*, id est, *valde magnum*; *insanùm bona*, id est, *valde bona*. Neq; silentio hìc involvendum erit testimonium illud *Varronis lib.* 6. *de ling. Latina*: *Plautus*, inqvit, *cùm* vehementer *vellet dicere*, *dicit* insanè; *qvòd insani omnia faciant vehementer*. Hanc qvoq; constructionem amplectuntur tum *Græci*; ut, μανικῶς στρατηγεῖν; *Plutarch.* tum *Galli*; ut, *furieusement grand; furieusement belle.*

§. II.

Ad vindicandas deinde locutiones, qvas Latinorum *Conjunctio*, *Si*, nobis subministrare videtur, animum calamúmq; nostrum convertimus. Ut itaq; dicimus *Danicè*: Et det saa/ at hand vil giøre dette; sic *Latinè*, qvasi verbum verbo reddentes, dicere possu-

ſumus: *Si eſt, ut ille facere hoc velit.* Firmiſſima ex *Terentio* hanc in ſententiam advocamus teſtimonia *Phorm. act. 2. ſc. 1.*

Si eſt, Patrue, *culpam ut Antipho in ſe admiſerit.* Ubi *Donatus*: Honeſta, *inqvit*, locutio: *Si eſt, ut admiſerit*, pro, *ſi admiſit.*

Idem Hecyr. act. 3. ſc. 5. Si eſt, ut velit reducere uxorem, licet.

Et *ibid. act. 4. ſc. 1.* Roga, velitne uxorem, an non; *ſi eſt, ut dicat velle ſe*, redde; *ſin eſt* autem, *ut nolit*, rectè ego conſului meæ.

Item *Adelph. act. 3. ſc. 5. Si eſt, facturus ut ſit* officium ſuum, faciat.

2. A communi Latinè loqvendi ratione nec deflectit noſtra: Er det nogen/ ſaa er det hannem; *Si qvisqvam eſt, iſte eſt*; pro, ut compendiariâ utar locutione: *Iſte eſt.* Aliorum hìc non urgebimus teſtimonia, contenti ſolius *Ciceronis*, qvi *lib. 15. epiſt. 4. Famil.* ita:

Si qvisqvam fuit unqvam remotus &c. *ego profectò is ſum.*

Idem lib. 5. de Finib. Si eſt qvisqvam, qvi acutè in cauſis videre ſoleat, qvæ res agatur; *is es profectò tu.*

Et

Et *pro Flacco*: *Si qvis unqvam* de nostris hominibus à genere isto studiô ac voluptate *non abhorrens fuit; me & esse arbitror*, & magis etiam tum, cùm plus erat otii, fuisse.

3. Hisce adjungere qvoq; libet locutionem illam, qvæ poculorum athletis in usu est: Vil du dricke/ saa drick; *Bibe, si bibis*, ut placet *Sorano*, qvi ex *Plauto Stich. act.* 5. *sc.* 4. exemplum hoc attulit.

§. III.

Varias deinde apud nos significationes obtinet *Adverbium* nostrum, Vel/ in qvibus bellè ei cum Latino *Bene* convenit. Harum prima erit: Jeg veed vel; *Bene scio*. Ad eundem enim modum *Ovid. lib.* 1. *de Arte am.*

Scit bene venator, cervis ubi retia tendat; *Scit bene*, qvâ frendens valle moretur aper.

Et *lib.* 1. *Trist. Scis bene*, cui dicam, positis pro nomine signis.

In qvibus particula *bene Henrico Stephano* videtur otiosa, & per *Pleonasmum* adhiberi. *Lib. de Latin. suspectâ, pag* 265.

2. Præcedenti affinis locutio est: Du

lover vel; *Bene promittis.* Amaverunt ſtructuram hanc *Plautus*, *Cicero*, *Ovidius*:

Plautus in Pænulo: *Benè promittis* multa ex multis; omnia incaſſum cadunt. Ubi vox *bene* itidem per *Pleonaſmum* qvendam uſurpari videtur.

Cicero lib. 2. de Divinat. Qvæ autem inconſtantia Deorum eſt, ut primis minentur extis, *bene promittant* ſecundis.

Ovidius lib. 3. de Arte: Si *bene promittent*, totidem promittite verbis.

3. Ex eodem Latino fonte cadunt & ſeqventes, qvæ Danis in uſu ſunt, loqvendi formulæ: Hand er vel lærd; Hand er vel beſkiencket; *Bene doctus eſt*, *bene potus*. Ubi vox *bene* particula eſt αὐξητικὴ, & pro vehementer, *valde* ponitur. Id qvod priſcorum Qviritium confirmatur uſu;

Plautus Moſtell. Bene doctus

Cicero lib. 7. ad Trebatium: Itaq; etſi domum *bene potus* ſeróq; redieram: tamen id caput, ubi hæc controverſia eſt, notavi.

4. Cum

4. Cum hoc loqvendi genere nec malè convenit: En Tale/ som er vel lang; *Bene longus sermo*, pro, *valde longus*. In oculis hìc habemus *Tullium*, ab ista locutione non alienum *lib. 3. de Orat.*

Habetis sermonem *bene longum*.
Item *lib. 2. de Finib. Bene longinqvus* dolor. Id est, *qvi diu durat.*
Et ad Atticum: *Bene longæ literæ.*

5. Ex antiqva qvoq; latinitate petitum videtur: Hand har det vel fat; pro, hand lever vel; *Bene habet*; pro, *lautè hilaritérq; vivit.* Multùm hìc ad fidem opinioni nostræ faciendam prodesse possunt verba *Plautina in Milite*:

Qvi ægre servat: & qvi *bene habet*.
Item *in Epid. Bene hoc habet.*

Subauditur haud raró Pronomen *se*, ut & Nomen *res*; *ut*,

Cicero pro Muræna: *Bene habet*, jacta sunt fundamenta defensionis.
Livius lib. 19. Bene habet, inqvit, & poculô impavidè exhaustô, haud ita multò pòst exspiravit.
Terentius Phorm. act. 2. sc. 3. Bene habent tibi principia.

6. Pri-

6. Priſcam porrò latinitatem ſeqvuntur: Det er vel; Det kand vel være; *Bene ſit.* Qvæ blandè aliqvid abnuentium formula eſt; qvâ pro officio eorum, qvô tamen uti nolint, gratias ſe debere ſignificant. Prodeat hìc in theatrum *Plautus*, cujus *Pſeud. act.* 2. *ſc.* 4. illa ſunt:

> *Char.* Qvin tu, qvicqvid opus eſt, audacter imperas? *Pſ.* Jam gratiam. *Bene ſit* Charine; nolo tibi moleſtos eſſe nos.

Tale & illud eſt in invitationibus: *Bene vocas;* jam gratia eſt; *apud Plautum Menæchm. act*, 2. *ſc.* 3. Qvaſi dicat: *Beneficii locô habeo, qvòd vocas; ſed in præſenti ago gratias.*

7. Jam verò & illud obſervatione dignum eſt, qvod in vernaculo ſermone dicitur: Det er vel med ham; *Bene eſt illi.* Locutio ſanè aureo ævo familiaris; Ita enim *Horatius Carm. lib.* 3. *od.* 16.

> *Bene eſt* (ſc. *illi*) cui Deus obtulit parcâ, qvod ſatis eſt, manu.

8. Eosdem deniq; natales agnoſcit: At ville een vel; *Bene velle alicui.* Id qvod vel unius *Terentii* lectio docere abunde poteſt *Andr. act.* 2. *ſc.* 5.

Verum illud verbum eſt, vulgò qvod dici ſolet: Omnes *ſibi melius malle eſſe*, qvàm *alteri.*

Item *Heaut. act.* 5. *ſc.* 2. *Tibi ex animo volo.*

§. IV.

Cum Latina itidem lingva aliqvid commercii habet negativa noſtra dictio, Jkke/ in oratione hac πλεοναστικῇ: Jeg kand ikke ſige/ hvor kiært dette er mig; *Non poſſum dicere, qvàm gratum hoc mihi ſit*; pro qvo compendiò loqvendi uti poſſumus: *Valde* vel *maximè gratum hoc mihi eſt.* Defenſorem locutionis hujus qværentes invenient *Ciceronem lib.* 13. *Famil. epiſt.* 17.

Non poſſum dicere, qvàm mihi gratum futurum ſit!

Et *lib.* 6. *epiſt.* 3. In Appii negocio *qvantum tribuerim Bruto, dici vix poteſt.*

Amaverunt & alii ſummi latinitatis Auctores eandem loqvendi conſvetudinem; *ut*,

Plautus Moſtell. act. 2. *ſc.* 2. *Non poteſt dici, qvàm indignum facinus feciſti, & malum.*

Terentius Eunuch. act 5. *ſc.* 6. *Non poſ-*

possum satìs narrare, qvos ludos præbueris intus.

Vellejus lib. 2. cap. 21. Cujus prælii qvàm fuerit eventus exitiabilis, *vix verbîs exprimi potest.*

Symmachus lib. 4. epist. 52. Verbis neqveo complecti, qvot gaudia mihi pariter dies unus invexerit.

2. Superlativi gradûs *Nominibus*, ad laudem qvæ referuntur vel vituperationem, in sermone nostro qvandoq; adjungitur negandi particula *Non*; *Ex. gr.* Hand er ikke den ringeste; Hand er ikke den beste; Hand er ikke den lærdeste; Qvâ circuitione usi etiam non rarò sunt *Latini*: *Non est minimus; non optimus; non eruditissimus.* In qvibus apparet, per vocem Superlativi gradûs cum præmissa vocula negativa significari ferè gradum Positivum contrarii. Qvæ singula non fuerit arduum ex bonis Auctoribus confirmare;

Cicero lib. 2. de Orator. Cum his me, ut dixi, oblecto, qvi res gestas, aut qvi orationes scripserunt suas, aut qvi ita loqvuntur, ut videantur esse voluisse nobis, *qvi non sumus eruditissimi*; familiares. *Qvi non sumus*

eruditiſſimi, perinde videtur eſſe, ac ſi dixiſſet: *qvi non valde eruditi ſumus, qvi parùm eruditi ſumus.*

In eodem Ciceronis libro & hæc ſunt: Ut illa opinio, qvæ ſemper fuiſſet, tolleretur, alterum (Craſſum) *non doctiſſimum*, alterum (Antonium) planè indoctum fuiſſe. Hìc Craſſum *non doctiſſimum* vocat Cicero; Senſus ſine dubio eſt, *non valde doctum*, aut *parùm doctum* eum fuiſſe.

Nepos Ageſilaô: Eorum ornatus non modò in his regem neminem ſignificabat, ſed *hominis non beatiſſimi* ſuſpicionem præbebat. Ubi *homo non beatiſſimus* eſt *homo non valde beatus, parùm beatus.*

Etiam Superlativi gradûs *Adverbiis* voculam *non* adjiciunt, dicuntq; *non difficillimè, non optimè* &c. *ut*,

Cicero lib. 15. *epiſt.* 4. Sacerdotium cùm *non difficillimè* conſeqvi poſſem. *Non difficillimè*, pro, *parùm difficulter.*

Idem lib. 2. *de Orat.* Hic Pœnus *non optimè* Græcè, ſed tamen liberè reſpondiſſe fertur. *Non optimè*, pro, *parùm bene.*

Et

Et *lib. 5. Tuſcul.* Epicurus cupiditatum genera diviſit, *non nimis* fortaſſe *ſubtiliter*, utiliter tamen. *Non nimis ſubtiliter*; pro, *parùm ſubtiliter*.

§. V.

Latinum non minus qvàm Danicum ſermonem exornat ſeqvens loqvendi ratio: Det var nær ved / at det hafde ſkeet; *Propè erat, ut id eſſet factum.* En teſtes lucutentos!

Livius lib. 2. Jam propè erat, ut in ſummum clivi jugum evaderent.

Idem ibid. Appius vicit, ac *propè fuit*, ut Dictator ille idem crearetur.

Item *lib. 10. Jam prope erat*, ut ſiniſtrum cornu pelleretur Romanis, nî ſeptima legio ſucceſſiſſet.

Plautus Milite: Qvid propius fuit, qvàm ut perirem.

Cicero lib. 1. ad Qv. Fratr. epiſt. 2. Propiùs nihil eſt factum, qvàm ut occideretur.

§. VI.

E Latina porrò lingva in uſum noſtrum tranſtuliſſe videmur locutionem hanc: Det

var ikke langt fra / at det jo hafde skeet; *Non longè* vel *multùm aberat, haud procul aberat, qvin id esset factum.* Latinorum accedit auctoritas, in primis *Cæsaris*, cujus *lib. 2. de bell. Civil.* verba sunt:

Neq; multùm absuit, qvin è castris expellerentur.

Et *lib 3. de bello Gall. Neq; longius abesse*, qvin proximâ nocte Sabinus clàm ex castris exercitum ducat.

Consentit etiam *Cicero lib. 9 ad Attic. Aberit non longè*, qvin hoc à me decerni velit.

Livius lib. 4. bell. Maced. Non multùm absuit, qvin qvà intenderant, penetrarent.

Idem lib. 1. cap. 5. Sciscitando eodem pervenit, ut *haud procul esset*, qvin Remum agnosceret.

§. VII.

Tam *Latinis* qvàm *Danis* usu venit sæpenumerò, ut duo ejusdem significationis *Adverbia* per *Pleonasmum* conjungantur; *Ex. gr.* Nu strax; *Jam nunc*, vel, *Nunc jam*; pro, *Repentè, sine intermissione aut mora.*

mora. Id qvod in Auctoribus etiam melioris commatis obſervare eſt;

Plautus Capt. act. 2. *ſc.* 2. Solvite iſtum *nunc jam*.

Idem Bacchid. act. 4. *ſc.* 9. Hoc ageſis *jam nunc*.

Terentius Adelph. act. 2. *ſc.* 1. Intra *nunc jam* tu.

Idem Andr. act. 1. *ſc.* 1. Eamus *nunc jam* intrò.

Ovidius lib. 3. *de Arte:* Venturæ memores *jam nunc* eſtote ſenectæ, Sic nullum vobis tempus abibit iners.

§. VIII.

Excidit & nobis qvandoq; hæc loqvendi forma latinitati minimè adverſa: Handelſker dig ſaa; *Te tam amat*; pro, *Valde te amat*. Tria hanc in rem exempla congeſſit *Popma de Uſu antiqvæ locut. lib.* 2. *cap.* 1. *pag. mihi* 260.

Ferocem facit, qvia te herus *tam amat*. *Plaut*.

Oratores qvidem ambo, ſed *tam diſpari eventu*. *Plin. lib.* 7.

Nec minora conſeqvi potuit; ſed non *tam concupivit*. *Vellej. Annal.* 2.

Verùm nec obſcuriora nos advocabimus teſtimonia;

Terentius Andr. act. 3. ſc. 5. Qvandoqvidem *tam iners*, *tam nulli conſilii* ſum. Hìc *Donatus*: *Rectè autem Veteres*, nullo, nulli, ſolo, ſoli, *declinabant*.

Cicero ad Attic. Græcos in eo reprehendit, qvòd *tam* mare *ſeqvuti ſunt*.

Varro de Lingv. Lat. Sed hi, qvi in loqvendo partim ſeqvi jubent nos conſvetudinem, partim rationem, non *tam diſcrepant*.

CLAS-

CLASSIS QVINTA DE FORMULIS,

qvas

In PRÆPOSITIONIBUS

observavimus.

Hactenus persequuti sumus illam Orationis partem, qvæ ADVERBIA complectitur; proximum est, ut eas deniq; Locutiones, qvæ PRÆPOSITIONES attingunt, expendamus & expediamus.

§. I.

E purissimo itaq; Latini sermonis fonte exsurgere videtur hæc nostra loqvendi consvetudo: At være ved sig self; *Apud se esse*; qvod non tantùm significat *esse domi suæ*, sed per metaphoram dicitur & de illo, *qvi animô præsenti est & minimè turbatô*. Apud *Terentium* certè nihil legitur freqventius, ; Is enim *Andr. act. 2. sc. 4. ita*:

Proin tu fac, *apud te ut sies*. Ubi *Dona-*

natus: Apud te ſis, id eſt, *præparatus ſis*; cui contrarium eſt, *non ſum apud me.*

Nempe *apud ſe non eſſe* perhibentur, qvibus confuſus & interceptus qvodammodo animus metu & formidine eſt; ut contrà *apud ſe eſſe*, qvi rectè conſtant ſibi & fiduciam habent. *Idem Comicus eâdem fab. act.* 5. *ſc.* 4.

Vix ſum apud me, ita animus commotus eſt metu.

Item *Heaut. act.* 5. *ſc.* 1. *Præ iracundia*, Menedeme, *non ſum apud me.* Ubi *Donatus*, *Non ſum mei compos.*

Et *Phorm. act.* 1. *ſc.* 4. *Non ſum apud me.*

Huic cognatum eſt: At komme til ſig igien; *Ad ſe redire;* de iis ſcilicet, qvi colligunt animum atq; recipiunt. De qvo cùm ſuprà à nobis *pag.* 93. dictum ſit, actum hìc agere nolumus.

§. II.

Apud Romanos deinde velut domeſticam ſedem obtinet hæc noſtra loqvendi ratio: Ofver Maaltid; *Super Cœnam;* Id eſt, *Cœnæ tempore.* In cujus rei luculentis-

tisſimum teſtimonium ſeqventia ex Auctoribus congeſſimus exempla:

Svetonius Auguſtô: Non amplius ter bibere ſolitum eum *ſuper cœnam* in caſtris apud Mutinam, Cornelius Nepos tradit.

Idem Veſpaſianô: Recordatus *ſuper cœnam.*

Plinius lib. 3. *epiſt.* 5. *Super cœnam* liber legebatur.

Juvenal. ſat. 15. Tale *ſuper cœnam* facinus narratur Ulyſſes.

Curtius lib. 6. Hæc Hegelochus dixit *ſuper cœnam.*

Idem lib. 8. dixit qvoq;: *Super vinum & epulas.* Id eſt, *inter epulas, inter convivandum.*

Et, qvod majorem certè movet admirationem, dicimus nos Latinorum imitatione: Ofver Borde; *Super Menſam.* Id qvod vel ex hoc *Curtiano* loco liqvet *lib.* 3.

Debellaturus (Beſſus) *ſuper menſam* Alexandrum.

2. Admittunt qvoq; Latinæ lingvæ non imperiti hanc orationis noſtræ ſtructuram: Der vare over tuſinde Menniſker; *Homines erant ſuper mille;* pro, *Plusqvam mille.*

Con-

Constat ex Auctoribus Latinis sua locutioni huic integritas;

Svetonius in Augusto cap. 35. Erant enim *super mille (Senatores)* & qvidam indignissimi.

Idem ibid. cap. 38. *Super triginta ducibus* justos triumphos, & aliqvantò pluribus triumphalia ornamenta decernenda curavit.

Et *in Jul. Cæs. cap.* 34. Veteranis legionibus prædæ nomine in pedites singulos *super bina sestertia* dedit.

Tacitus lib. 3. *Annal.* Ruminalis arbor in comitio, qvæ *super octingentos & qvadraginta annos* Remi Romuliq; infantiam texerat.

3. Sunt & alia loqvendi genera, in qvibus Præpositio hæc elucet; Nobis qvippe haud insueta locutio est: At sidde over een; vel: At staa over een; qvô etiam modô Latini locuti sunt: *Sedere super aliqvem*; vel: *stare super aliqvem*; pro, *Superiorem & honoratiorem tenere locum*. Conspicua satìs hæc loqvendi forma est in illo *Curtii lib.* 8.

Polypercon, qvi *cubabat super regem.* Id est, *Qvi in convivio discumbebat super Alexandrum.*

In

In eandem ſententiam adjungimus & *Svetonium*, qvi *August. cap.* 43.

Parthorum, *inqvit*, obſides, tunc primùm miſſos, *ſuper ſe* ſubſellio ſecundo *collocavit.*

4. Huc etiam ſpectat freqvens hæc apud *Danos* locutio: Hand sendte Bud det eene over det andet; Qvod loqvendi genus freqventant & *Latini*, dicentes: *Nuncios miſit alios ſuper alios.* Veterum id auctoritate confirmabimus;

Plinius lib. 7. *epiſt.* 8. Exprimere non poſſum, qvàm jucundum ſit mihi, qvòd Saturninus noſter ſummas tibi apud me gratias *aliis ſuper alias epiſtolis* agit.

Livius lib. 3. *Alii ſuper alios* trucidantur.

Idem lib. 9. Nec jam procul abeſſe *alii ſuper alios* nunciarent.

Plautus Pſeud. act. 4. *ſc.* 1. Ibidem una aderit mulier lepida, tibi *ſavia ſuper ſavia* qvæ det.

5. Romanæ dictionis indolem referunt qvoq; locutiones noſtræ, in qvibus eâdem Præpoſitione, Over/ utimur in denotandis officiis; *Ex. gr.* Hand er over Rust-Kammeret;

ret; Ad eandem formam dicunt Latini: *Super armamentarium eſt*; Id eſt, *armamentario præpoſitus eſt*. Locutio certè omni omnino non deſtituta patrocinio, cùm habeat *Curtium*, cujus *lib.* 6. hæc ſunt:

> Cebalinus nobili juveni, Metron erat ei nomen, *ſuper armamentarium* poſito, qvod ſcelus pararetur, indicat.

Neq; ſanè de nihilo eſt illa *Svetonii* vox *in Claudio cap.* 2. *Superjumentarius*; id eſt, *qvi jumentariis præpoſitus eſt*. Sic qvi in Cæſarum aulis obvenientes hæreditates adminiſtrabat, aut vigeſimæ hæreditatum præpoſitus erat, dictus *ſuper* vel *ſupra hæreditates*, ὁ ἐπὶ τῶν κληρονομῶν. Hujus rei teſtis eſt *Scribonius Largus cap.* 41.

> Hoc Anteros Tiberii libertus *ſupra hereditates* remediatus eſt.

Fidem qvoq; hìc faciunt *Inſcriptiones* antiqvæ: *Supra coqvos, ſupra velarios, ſuper cubicularios*; pro illis, qvi coqvis, velariis & cubiculariis ſunt præfecti.

§. III.

In beatos *Beati Bangii* manes injurii forſan eſſemus; ſi turpi involveremus ſilentio, qvicqvid de locutione iſta, qvam no-

strate idiomate dicimus, Af sig self/ id est, selfvilligen; & Latini per *ab se, à se, ex se*, id est, *sponte, ultro* &c. efferunt, eruditus ipsius calamus exponit *Observat. Philolog. pag.* 1235. incorruptæ sententiæ suæ seqventia attexens exempla:

Plautus Menæchm. act. 1. *sc.* 2. Mane, mane, obsecro, hercle: *ab se* ecca exit.

Verùm occurres hîc forsan cum *Lambino*: *Ab se* hìc esse idem, qvod *domo suâ*. Esto; at ipsa versiculorum Plauti συνέπεια declarat, *ab se* hìc idem esse, qvod *sponte*. Præcedunt enim hæc: *Placide pulta*. Pe. *Metuis. credo, ne fores Samiæ sint*. Tum verò *Menæchmus*: *Mane, mane, obsecro, hercle: ab se ecca exit.* Qvasi diceret: *Ne qvidem opus est fores pultari, ut intromittamur. ipsa enim ab se exit foras.* Vide *Meursium Exerc. Crit. pag.* 145. & *Taubmannum in Comment.* Sed ad alia *Celeberr. Bangii* pergamus testimonia:

Idem Plautus Rudent. Nam hæc literata est, *ab se* cantat cuja sit.

Et *Trucul.* Ecce *ab sese* egreditur foras.

Idem

Idem Pœnul. Nimium exhibent negotium hominibus *ex se.*

Ciceroni qvoq; placuit *lib.* 1. *de Orat.* Videar non ipso aliud *à me* prompsisse, sed fortuitò in sermonem vestrum incidisse.

Idem ibid. A se aliqvid facere.

§. IV.

Permittit præterea Latina loqvendi ratio, ut dicere liceat: At holde noget for Skarn; *Pro stercore aliqvid habere.* Id qvod vel ex illo *Plautino* loco *Trucul. act.* 2. *sc.* 7. liqvet:

Bona sua pro stercore habet. Id est, *Nihili facit.*

2. Nec extra latinitatem qværimus; At vide/ holde/ sige noget for vist; *Pro certo aliqvid scire, habere, dicere.* Est enim illud loqvendi genus Latinis omnibus longè usitatissimum; *ut,*

Cicero lib. 2. *de nat. Deor.* Nec enim hunc ipsum mundum *pro certo* rotundum esse *dicitis.*

Idem ad Brutum epist. 5. Neq; nunciabatur qvicqvam, qvod *pro certo haberemus.*

Teren-

Terentius Adelph. act. 3. sc. 4. Pro certóne tu iſtæc *dicis*?

Rurſus *Cicero ad Attic. lib. 5.* Sed poſthac omnia, qvæ certa non erunt, *pro certo negato.*

Item *de leg. Agrar. Pro certo* hoc vobis *polliceor* atq; *confirmo.*

Amittitur qvandoq; *Præpoſitio; ut,*

Terentius Eunuch. act. 1. ſc. 2. Certum non ſcimus.

Cicero lib. 7. ad Attic. Certum ſciri nullo modô poteſt.

3. A latina qvoq; lingvá in noſtram transportamus: At holde een for en lykſalig Mand; *Pro felici aliqvem habere, putare, aſpicere.* Qvam certè loqvendi licentiam qvia calamô ſuprà perſeqvuti ſumus *pag.* 114. hìc de tabula nobis manus tollenda.

4. A communi atq; conſveto noſtro loqvendi genere neq; deflectit forma locutionis hujus: *Iſta pro re duas dedi marcas*; Jeg gaf Toe Mark derforre; Id eſt. *Duabûs iſtam rem paravi marcîs.* Nullam hìc debitæ conſtructionis fieri injuriam, fatetur *Plautus Moſtell. act. 3. ſc. 2.*

Tres minas pro iſtis duobus (ſc. poſtibus) *dedi.*

 5. Nec

5. Nec abſonum fuerit hanc tandem adhibere locutionem: Hver for ſig; *Pro ſe qvisq;* Id eſt, *Qvisq; pro virili;* cùm præeant non pœnitendi nominis Auctores, ex qvibus uberrimam hujus formæ exemplorum ſegetem congeſſimus;

Cicero lib. 3. *in Verr. Pro ſe qvisq;*, ut in qvoq; erat auctoritatis plurimum, ad populum loqvebatur.

Idem 1. *de leg. Agrar.* Huic *pro ſe qvisq;* noſtrum mederi, atq; hoc omnes ſanare velle debemus.

Et *lib.* 3. *Offic. Pro ſe qvisq;*, qvod ceperat, afferebat.

Livius lib. 6. *bell. Pun. Pro ſe qvisq;* conferunt aurum.

Terentius Heaut. act. 1. *ſc.* 1. Video alios feſtinare, lectos ſternere, cœnam apparare, *pro ſe qvisq;* ſedulò faciebat.

Curtius lib. 3. *cap.* 5. *Pro ſe qvisq;* precari cœpêre.

§. V.

An priſcæ itidem latinitati adſcribenda ſit hæc noſtra ſtructura: Under Veys; nullum

lum sanè esse potest dubium. Huic autem usum suum in lingva nostra dedisse mihi videntur *Germani*, qvi dicunt: **Unter Wegens**; Vocabulum enim Germanicum, **Unter**, Latino illi, *inter*, significatione omnino respondet. Sed libet ire per exempla;

Plautus Aulul. act. 2. sc. 8. Deinde egomet mecum cogitare *inter vias* occepi: Festo die si qvid prodegeris, profestô egere licebit, nisi peperceris. *Inter vias*, id est, *Inter ambulandum.*

Idem Pænul. act. 5. sc. 3. At ne *inter vias* præterbitamus, metuo.

Terentius Eunuch. act. 4. sc. 2. Dum rus eo, cœpi egomet mecum *inter vias* aliam rem ex alia cogitare.

In qvibus & similibus Præpositio *inter* vicariam operam Præpositioni *in* præstat; cujus rei exempla sint seqventia:

Plautus Cistell. act. 2. sc. 1. *Inter novam rem* verbum usurpabo vetus. Id est, *in re nova.*

Cicero 2. Philipp. Si *inter cœnam* in tuis illis immanibus poculis hoc tibi

accidiſſet. Id eſt, *In cœna*, vel *cœnæ tempore.*

Juſtinus lib. 2. *cap.* 2. *Inter initia* multas gentes rebellantes compeſcuit.

Valer. Max. lib. 1. *cap.* 7. Qvædam non obſcuri generis fœmina *inter qvietem*, opinione ſuâ cœlum conſcendit. Conſentit & *Doctiſſ. Pareus Lex. Crit. pag.* 627.

§. VI.

Latinam porrò formam imitatur etiam Præpoſitio noſtra, Til. Etenim ut nos dicimus: At give een Penge til noget; eodem ſic jure Latinè licet dicere: *Pecuniam alicui ad aliqvid dare.* In qvo certè loqvendi genere vocula *ad* denotat *uſum* vel *cauſam;* pro, *Ad alicujus rei uſum*, vel, *alicujus rei cauſâ pecuniam dare.* Sed reſtat, ut nonnulla qvoq; hujus rei ſubjungamus teſtimonia majoris lucis ergò. Favet itaq; locutioni huic *Terentius*, qvi *Heaut. act.* 4. *ſc.* 5.

Argentum dabitur ei *ad nuptias.* Id eſt, *nuptiarum cauſâ.*

Nec

Nec diſplicuit *Ciceroni lib. 5. in Verr.*
Unum, inqvam, da mihi ex illis aratoribus, qvi vel *ad ſtatuam* pecuniam contulerunt, qvi ſibi dicat pro frumento omne eſſe, qvod oportuerit, ſolutum.

2. Huic adjungimus: At koge til Bryllup; *Coqvere ad nuptias.* Id qvod *Plautino* illo probamus teſtimoniô *Aulular. act. 1. ſc. 2.*

Venimus *coctum ad nuptias.*

3. Nec deſunt præclari Auctores, qvi hanc nobis ſuppeditant dicendi formam: At giøre een noget til Villie; *Ad voluntatem alicujus aliqvid facere*; pro, *ſecundum voluntatem. Cæſar* certè locutionis hujus formâ delectatus eſt *lib. de bell. Gall.*

Si qva res non ad nutum aut *ad voluntatem ejus facta eſt.*

Addimus & huic auctoritatem *Ciceronis*, qvi *in Paradox.* ita;

Loqvitur ad voluntatem; qvicqvid denunciatum ſit, facit, adſentatur, aſſidet, muneratur.

Idem pro Qvinctio: Fatetur ſe non bellè

lè dicere; non *ad voluntatem loqvi posse.*

4. Latinam qvoq; originem olere videtur: Til Tide/ at komme til Tide; *Ad tempus venire;* pro, *Opportunè, peropportunè venire.* Id qvod eidem *Ciceroni* insolens non est, qvi ita *pro Milone:*

Qvàm, *inqvit*, *ad tempus* aptæ simulationes.

Idem Dolabell. Neq; solùm *ad tempus*, maximam utilitatem attulisti, sed etiam ad exemplum facti.

5. In formulis hisce hanc itidem locum habere paucîs demonstrabimus: Til det højeste; *Ad summum.* Locutio sanè apud *Ciceronem* freqventissima;

Pro Qvinctio; Biduo, *ad summum* triduo.

Idem pro Milone: Qvatuor, *ad summum* qvinq; sunt inventi, qvi Milonis causam non probarent.

Item *lib. 2. ad Famil. epist. 1.* A te verò bis térve *ad summum*, & eas perbreves accepi.

Et

Et *lib.* 5. *epiſt.* 21. Exceptô uno, aut *ad ſummum*, altero.

Cæterùm, ut *Ciceroni* placuit *Ad ſummum*, qvis audebit tamen inde permittere ſibi libertatem ità loqvendi: *Ad minimum*? Ad qvam formam non ſemel dicimus: **Til det mindſte.** Analogia certè non repugnat; ægre tamen ſe uſqvam Latinô ptobatóq; ſcriptore tuebitur. Pro eo *minimum* probatur *Varroni lib.* 1. *cap.* 5. *de re ruſt.*

Harum ſingula genera *minimum* in binas ſpecies dividi poſſunt.

Item *lib* 2. *cap.* 1. Ita fiunt omnium partes *minimum* octoginta una.

Audiamus & *Qvintilianum lib.* 9. *cap.* 4. Habet periodus membra *minimum* duo.

6. Obſervavimus deniq;, nos loqvendi genera; **At være ved Haanden**; **At hafve noget ved Haanden**; à Latinis accepiſſe mutua, qvi dicunt: *Ad manum eſſe; Ad manum aliqvid habere*; pro, *In promptu eſſe*, vel *in promptu aliqvid ita habere, ut qvaſi manu teneatur*. Sed ut verus harum locutionum uſus, paſſim in Latino-

rum monumentis obvius, magis clarescat, addimus Auctorum testimonia;

Livius ita lib. 3. Qvod coctum *ad manum erat* cibi.

Et *lib.* 9. Adde qvod Romanis *ad manum* domi supplementum *esset*.

Nepos Eumene: Itaq; *habebat eum ad manum* scribæ locô.

Cicero lib. 3. *de Orat. Licinium servum* sibi Gracchus *habuit ad manum*.

Hinc *ad manum servus*, est *amanuensis*; voce à *Svetonio* in primis adhibitâ; qvi eidem aliàs dicitur, *à manu servus*; sicut *ad pedes servus*, Martiali dicitur, *servus à pedibus*.

§. VII.

Huc referimus & illud, qvod examussim Latino dicendi characteri respondet: At giøre Een imod; per *Anastrophen*; pro at giøre imod Een; *Facere contra aliqvem*. Latinos enim sic loqvutos fuisse testatur *Cælius ad Ciceronem epist. lib.* 10.

Nunc, *inqvit*, te *contra victorem Cæsa-*

ſarem facere &c. ſummæ ſtultitiæ eſt.

§. VIII.

Cum uſitata noſtra loqvendi ratione conſentiunt qvoq; Latini, qvando particula *Præ* aut *cauſam* ſignificat aut *comparationem*.

α. Cauſam; Cujus rei plurima exempla ſuppeditare poteſt *Ciceroniana* lectio; *ut*,

Pro Milone: Sed ſit finis; neq; enim *præ lacrymis* loqvi poſſum; Jeg kand icke tale for Graad; Id eſt, *propter lacrymas*.

Idem ad Attic. Non hercule *præ lacrymis* poſſum reliqva ſcribere.

Item *Terentius Heaut. act. 5. ſc. 1. Præ iracundia* non ſum apud me.

Et *alibi*: *Præ gaudio*, ubi ſim, neſcio.

β. Comparationem; Cujus ſtructuræ veſtigia in alio vix ſcriptore probato magis conſpicua viſuntur, qvàm in eodem *Cicerone*; *ut*,

In Am. Qvi in ipſa ſenectute *præ cæteris* floruiſſet.

 Idem

Idem pro Roscio: Omnes despicere, & hominem *præ se* putare neminem.

Et *in Verrem*: Omnia pericula *præ salute sua* levia duxerunt.

2. Hujusmodi in formulis locum etiam habet: Hand gaf/ hvad der var for Haanden; *Dedit, qvicqvid præ manu erat.* Testimonium locutionis hujus si desideres, adi & consule *Terentium Adelph. act. 5 sc. 9.*

Tu tuum officium facies, atq; huic aliqvid paululum *præ manu* dederis.

Donatus hôc locô vim comparandi censet; *ut, Dabis paululum qviddam præ his, qvæ tibi affluunt, & assiduè diffundis.* Hunc judiciô suô abundare permittimus; nos verò *Enallagen* Præpositionum statuimus, *præ* per *in* exponentes, *Plauti* admoniti auctoritate, qvi *in Bacchidibus*:

Reddidi, *inqvit*, patri omne argentum, qvod fuit mihi *præ manibus*. Id est, *in manibus*, & *in promptu.*

§. IX.

In medio Romuli nepotum gremio parta deinde atq; nata videtur hæc nostra locutio:

For

For alle Ting; *Ante omnia*; pro, *In primis*, *præcipuè*. Idq; ſatìs Latinè dicitur, qvòd præeuntem videamus *Virgilium*, cui *lib.* 2. *Georg.* placuit:

Me verò primùm dulces *ante omnia* Muſæ Accipiant.

Idem Eclog. 2. Pallas, qvas condidit arces, Ipſa colat; nobis placeant *ante omnia* ſylvæ.

Accedit & teſtimonium *Qvintiliani lib.* 1. *Ante omnia* ne ſit vitioſus ſermo nutricibus.

2. Neq; abs re forſan hìc erit oſtendere, *Ante alios* qvoq; Latinè dici, atq; reſpondere noſtro: For andre. Sunt certè non erubeſcendi nominis ſcriptores, qvibus placuit; Videlicet

Plautus Trinum. Tibi *ante alios Deos* gratias ago habeóq; ſummas.

Virgilius Eclog. 3. Phyllida amo *ante alias.*

Et *lib.* 11. *Æneid. Ante alios fortunatus.*

Nepos Atticô: Unus *ante alios* fuerit cariſſimus.

3. In

3. In Latium usq; promovemus itidem Danicô ſolô haud contentas loqvendi formulas: At hafve noget for Øyen; At ſætte ſig noget for Øyen; *Ante oculos aliqvid habere; Ponere ſibi aliqvid ante oculos.* De qvibus non dubitandum, cùm melioris notæ ſcriptores ſic loqvantur;

Livius lib. 5. *Ante oculos habeo urbem.*

Item *lib.* 2. *Proponam tibi ante oculos mortem ejus.*

Cicero lib. 1. *de Orat.* Omnia enim *ſunt poſita ante oculos.*

4. An verò lepidisſimam hanc noſtri ſeculi proverbialem formulam aqvâ & igni Lariali hìc prohibebimus: Du taler for Skiæg? A barbarismi certè crimine innocentisſimam hanc loqvendi formam vindicare parat *Eraſmus*, non contemnendæ induſtriæ ſcriptor, cujus hæc ſunt *Centur. III. Adag.* 10.

Ante barbam doces ſenes. Cùm ſcilicet imberbis majorem natu docet.

§. X.

E civitate Latina neq; exterminari debet Præ-

Præpositio hæc nostra, Under; Dicimus enim: Dette skeede under Keyser Augusto; Ad eundem modum Latini: *Factum est hoc sub Imperatore Augusto;* pro, *tempore Augusti.* Præit hìc nobis suô exemplô *Qvintilianus*, qvi *lib.* 5. *cap.* 10. sic loqvitur:

Nunc, olim, tunc, *sub Alexandro.*

2. Latinorum qvoq; fœtum agnoscimus locutionem, qvam coronidis locô modò subjiciemus: Under et Skin; *Sub specie.* Ab hac enim non abhorruêre Veteres, qvemadmodum ex *Livio* liqvidum est *lib.* 6. *bell. Maced.*

Sub specie pacis. Id est, *prætextu pacis.*

Nam *Species* hôc locô est. qvod videtur aliqvid, qvod tamen non est; ut *Cicero*:

Speciem boni viri præ se ferre.
Idem in Offic. Habere *speciem humanitatis.*

Sunt & alia adhuc loqvendi genera,, à qvibus manum non abstinuerunt Scriptores Latini, qvæ eandem certè obtinent significationem; *ut*,

Livi-

Livius lib. 4 *In ſpeciem* preces jactantur. Id eſt, *ſimulatè*.

Cicero lib. 7. *in Verr.* Præclara claſſis *in ſpeciem*, ſed inops & infirma &c.

Plinius de Viris illuſtrib. Per ſpeciem legationis in Aſiam ablegatus eſt, ut invidiæ ſubtraheretur.

SUFFICIT.

GRA-

GRATA RERUM,
Qvas opuſculum hoc continet,
MEMORIA.

2. At

5. Hand

2. Haard-

F.

20. At

2. Der

2. Si